Digitized by Google

J. 5. 293

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ECCLESIA
ET
EPISCOPIS
PAPIENSIBUS
COMMENTARIUS

IN QUO

UGHELLIANA SERIES

EMENDATUR, CONTINUATUR, ILLUSTRATUR

OPERA, ET STUDIO

FAUSTI ANTONII MARRONI

CLER. REGUL. SCHOL. PIARUM.

ROMAE MDCCLVII.

TYPIS OCTAVII PUCCINELLI IN TYPOGRAPHIA
S. MICHAELIS AD RIPAM TYBERIS.

SUPERIORUM LICENTIA.

Digitized by Google

Illmo, & Rmo Domino

JOSEPHO ALEXANDRO
F U R I E T T O
Sacræ Congregationis Concilii a Secretis

FAUSTUS ANTONIUS MARRONUS CLER. REGUL. SCHOL. PIARUM FELICITATEM.

TAntum abeſt, ut quibus cauſſis excitatus Eruditus ille vir fuit ad inſcribendas nomini tuo caſtigationes a ſe in Commentarium hunc nondum editum exaratas, virtute ſcilicet tua, nominis celebritate, dignitatum ſplendore, patrocinii tui vetere poſſeſſione, ipſius etiam operis difficultate, & dignitate; tantum, inquam, abeſt, ut iiſdem ego impulſus

Digitized by Google

fuerim ad lucubratiunculam hanc Tibi ſiſtendam: ut potius ingenue fatear, eas ipſas, quominus ad Te accederem, mihi ſemper vehementiſſime reſtitiſſe. Ut enim prætercam, nullius eſſe me in litteraria Republica nominis, & plane novum; nec tanti unquam fuiſſe, qui in clientelam tuam acciperer (de quibus Eruditus idem vir gloriari merito poterat): an ego ſic eſſem imprudens, ut Tibi viro tali, ac tanto dignitate, muneribus, virtute, ſapientia, omnibus ſpectatiſſimo opellam hanc nec eruditione, nec ipſa ſaltem mole ſpectandam vere levidenſe munus offerrem? Quid igitur, dices, eſſe potuit in cauſſa, cur tantum auderes? Candide, ſi per te mihi licet, aperiam. Cum humaniter indulſiſti, ut Eruditi illius viri animadverſiones in hunc commentarium tuo ornatæ nomine vulgarentur, jus quoddam tunc mihi credidi comparatum, quo huic ipſi etiam commentario repetere poſſem eundem honorem, idemque præſidium. Siquidem ſatis

intelligebam neque humanitatis tuæ futurum, neque æquitatis, quibus inter ceteras virtutes tuas adeo celebraris, ut eo deſtitutum illum velles auſpicio, favore, præſidio, quo paſſus es exornari, atque fulciri immaturas in ipſum caſtigationes. Quod cum animo mecum reputo, atque animadverto, quanta mihi ex eo facto oblata fuerit honoris occaſio, non ſolum Erudito illi iraſci non poſſum, aut ſuccenſere, quod commentarium hunc nondum publicum publice caſtigaverit; verum etiam multas ſentio hac de cauſa a me illi gratias & agendas, & habendas. Quid vero, ſi hoc idem tam præclarum honoris jus, quod mihi arbitror debitum, a voluntate tua libere fuerit confirmatum, meque, eo dum utor, & ad pedes tuos accedo, ea qua alios ſemper ſoles, exceperis humanitate, & in tuorum clientum retuleris numerum? Beatum profecto me, fortunatumque tunc dixero, cui adverſa ipſa ſucceſſu tam proſpero ſuffragantur.

AD LECTOREM

EDENDI COMMENTARII HUJUS OCCASIO.

Q*VO tempore hunc Commentarium ex aliis abſolveram, forte convenit me in meo cubiculo humaniter, & officioſe quidam vir eruditus, a quo non ita pridem edita fuerat diſſertatio magno plauſu a doctis viris excepta. Vt in abaco meo commentarius proſtabat, totuſque eram in eo, de ipſo facilis inter nos inſtitutus eſt ſermo. Cum vero de pluribus non eadem utriuſque eſſet opinio, & ego præclare de ejus eruditione ex diſſertatione præſertim paullo ante vulgata ſentirem, neque is eſſem, qui mihi multum fiderem plane cognoſcens, ſi quid eſt in me ingenii, quam ſit exiguum, egregie mihi conſulturum putavi, ſi de meis ſtudiis ejus ſententiam exquirerem, & quodnam de toto commentario judicium ferret agnoſcerem. Itaque deprecatus eum ſum, ut commentarium ipſum domi ſuæ ſerio ſibi conſiderandum pro ſua humanitate proponeret facturus mihi gratiſſimam rem*, ſi notaret diligenter, quid illi minus veritati conſentaneum videretur, aut legibus Critices inveniretur adverſum; ut communicatis inter nos amice conſiliis omnia ad veritatis lineam revocarentur.

Digitized by Google

tur (1). *Addidi judicium ſuum a me tanti faciendum, ut eo tanquam lapide lydio uſurus eſſem vel ad ſtudia hæc mea impenſius recolenda, vel perpetuo damnanda. Operam ſe mihi ſuam libentiſſime præſtiturum promiſit vir humaniſſimus, & adimplevit. Etenim poſt unum, aut alterum menſem rediit, mihique epiſtolam detulit a ſe ipſo datam ad me, in qua poſt multis me laudibus non debitis oneratum, impulſumque ad perficiendum opus inceptum conjecturas quaſdam meas de aliquibus trium priorum ſeculorum* Epiſcopis Papienſibus, *quales etiamnum leguntur in hoc commentario, oppugnabat erudite de more. Multas illi egi gratias, plures etiam habui; eique confirmavi, me ex ſua eruditione ea in commentarium meum derivaturum, quæ opportuna, & optima judicaſſem. Annus elapſus fuerat, quo hæc contigerant: quum eruditus ille idem vir in via forte obvius mihi ſignificat, ſe eam ipſam epiſtolam, quam privatim mihi tradiderat, multis additis ornamentis amplificatam feciſſe publicam typis. Hæſi, & permoleſtum habui commentarium meum fuiſſe publice caſtigatum antequam publicum. Quid? quod me* Italiæ Sacræ continuatorem *vulgaverat; cum neque id mihi laudis tribuerim; neque mihi id oneris publice ſumpſerim; & ſi in emendanda,*

(1) Verba ſunt Eruditi in ſua Epiſtola typis edita.

da, illuſtrandaque Ughellii Italia Sacra tenues ingenioli vires exerceo, id faciam privatis, imo nec primis curis, nullo mihi fine propoſito, præter quam exercitationis honeſtæ, & religioſo homine dignæ. Patienter tamen tuli ſpe aliquantulum recreatus fore ut pauca exemplaria non multas litterariæ Reipublicæ provincias occuparent; ſed hac etiam ſpe ſum deſtitutus. Etenim accepi eam epiſtolam orbi toti aliis typis fuiſſe enunciatam, & in opuſcula Calogeriana proxime referendam. Re cum prudentiſſimis viris communicata, ii auctores mihi fuerunt, commentarium ipſum, qualiſcumque demum ſit, etiam a ceteris ſeparatum publici juris facere ne differrem; idque ex ea potiſſimum cauſſa, ut qui animadverſionem legerint in commentarium, eam poſſint cum commentario ipſo conferre. Horum ego conſilium ſequor, & commentarium typis trado, non laudem aucupaturus eruditionis, atque doctrinæ, quam mihi non deberi caſtigatio ipſa declarat; ſed alienæ curioſitati ſi quæ forte ex ea epiſtola orta fuerit, vel oritura ſit, ſatisfacturus.

I M P R I M A T U R.
Si videbitur R̃mo P. Magiſtr. Sacr. Palat. Apoſt.
F. M. De Rubeis Patriarch. Conſtantinop. Viceſg.

I M P R I M A T U R.
Fr. Vincentius Elena R̃mi P. Mag. Sac. Palat. Apoſt. Soc.

DE

DE ECCLESIA

E T

Epiſcopis Papienſibus.

I. A Prærogativis, ornamentiſque Eccleſiæ Papienſis, de quibus Ughellius, exordior. Papienſem, ſeu Ticinenſem Eccleſiam Romano ſemper Metropolitæ proxime paruiſſe præter Ughellium conſentiunt Sigonius (1), Ballada (2), Romualdus (3), Saccus (4), aliique non pauci. Hi cum vetuſtiſſimæ traditioni, tum auctoritati præcipue innituntur Pauli Diaconi (5), & Anaſtaſii Bibliothecarii, qui a Conſtantino I. Summo Pontifice latum narrant judicium contra Benedictum Epiſcopum Mediolanenſem, quo decretum fuit ad Apoſtolicam Sedem pertinere Ticinenſium Epiſcoporum conſecrationem (6). Diſſentiunt præter alios Ludovicus Muratorius (7), & Euſtachius a S. Ubaldo ex Auguſti-

Utrum Eccleſia Papienſis ſemper fuerit Romano Metropolitæ ſubjecta.

(1) De regno Ital. ſub anno 715.
(2) Apol. pro Eccl. Ticin.
(3) Tract. de libert. Eccl. Ticin.
(4) De Papien. Eccl. dignitate.
(5) De geſtis Longob lib. 6. cap. 29.
(6) In vita Conſtantini Papæ.
(7) In Anecd. tom. 1. pag. 221.

Digitized by Google

guſtinenſium non Calceatorum familia (1), qui eruditiſſimis diſſertationibus nervos omnes in id intenderunt, ut eandem Eccleſiam ſubjectam fuiſſe convincerent Metropolitæ Mediolanenſi aliquot ſeculis. Multa in hanc rem congerunt argumenta; quæ tamen meo judicio majoris roboris eſſe videntur, ea ſunt, quæ petuntur a Ticinenſium Epiſcoporum Conſecrationibus per Mediolanenſem Metropolitam factis; a Provincialibus Synodis, quibus inter ceteros Suffraganeos adfuerunt etiam Ticinenſes Epiſcopi convocati; & ab ipſius Ticinenſis Urbis ſitu, qui talis eſt, ut non modo ſit intra limites antiquæ Liguriæ, ſed ab iis urbibus, quæ veneratæ ſemper ſunt Mediolanenſem Metropolitam, tanquam Inſula in medio mari claudatur.

II. Ad Conſecrationes Ticinenſium Epiſcoporum quod pertinet, & eorundem Convocationem ad Provincialia Concilia, Sacerdotem, ſive Epiſcopum Ticinenſem a Sancto Ambroſio conſecratum octavo die, antequam ex ultimo morbo decumberet, narrat Paulinus in ejus vita. Sanctum Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum, qui ſancto Criſpino ſummo Cleri, populique conſenſu ſuffectus fuerat, Mediolanum adductum nolentem & reluctantem, ut Epiſcopus conſecraretur, refert in ejuſdem vita Ennodius (2). Eventius Ticinenſis Epiſcopus Synodo adſuit Aquilejenſi habitae anno 381., quo præter Africæ, & Galliarum Legatos convenere fere omnes Epiſcopi ſeptem Provinciarum, quæ ſub præcipuo Italiæ nomine contentæ Mediolanenſem Metropolitam venerabantur, cum nullus, qui Romano pareret, adfuerit. Criſpinus Ticinenſis inter ceteros Suffraganeos legitur in ea epiſtola, quam Euſebius Mediolanenſis in Synodo Provinciali convocata an-

(1) De Metropoli Mediol. Sect. 3.
(2) Cap. 4. num. 15. apud Bollandianos, apud quos in capita diſtributa eſt.

Digitized by Google

anno 451. ad Leonem Magnum Summum Pontificem exaravit (1). Alia plura exempla prætereo. Ad ſolos autem Metropolitas pertinuiſſe ſuos Suffraganeos conſecrare, eoſdemque convocare ad Provincialia Concilia, omnibus debet eſſe notiſſimum.

III. Latum a Conſtantino judicium pro Antiſtite Ticinenſi contra Benedictum Mediolanenſem non negant hujus ſententiæ Patroni. Rationem vero potiſſimam, ob quam cauſſa ceciderit Benedictus, non eam fuiſse contendunt, quod a primis ſemper ſeculis ordinari,& conſecrari conſueverint a Romano Pontifice Ticinenſes Epiſcopi; ſed quia ab aliquo ſolum ante Conſtantinum tempore mos hic invaluerat; ab anno fortaſſe 569, quo, capta per Alboinum Regem Langobardorum Urbe Mediolanenſi, Honoratus Epiſcopus Genuam ſeceſſit (2). Cum enim poſtea Genuæ Mediolanenſes Epiſcopi diutinam moram traxerint, nec ante Mediolanum rediverint, quam poſt eam urbem per Rotarim Regem captam anno, ut creditur, 641, factum fortaſſe putant, ut Antiſtites Ticinenſes, quoniam vel Genuam prohibebantur accedere, vel nolebant, a Romano Pontifice conſecrationem acciperent, eique capta occaſione libenter adhæſerint, Metropolita Mediolanenſi relicto.

IV. Ticinenſes contra adducto uno vel altero ex Hiſtoria Eccleſiaſtica exemplo contendunt neque Conſecrationem, neque Convocationem ad Provincialia Concilia ſemper fuiſſe argumentum auctoritatis in Conſecrante, & Convocante. Qua in re ut ſenſum meum, qualiſcumque demum futurus ſit, proferam, de Convocatione ad Synodos Provinciales aliquo modo liberaliter cum Ticinenſibus agerem. Obſervo enim convocatos ad Provincialia Concilia

A 2 ab

(1) Eſt apud Labb.tom. IV. Concil. pag. mihi 582.
(2) Conſule Baronium alioſque ad annum 569. & 570.

ab Epiſcopo Mediolanenſi Antiſtites Ticinenſes etiam tum, cum ex lato per Apoſtolicam Sedem judicio extra dubium poſitum erat eos non eſſe Mediolanenſi Metropolitæ ſubjectos (1). Obſervo præterea Joannem VIII. Summum Pontificem peculiarem illam prærogativam Ticinenſibus Epiſcopis indulſiſſe, ut poſſent ad Synodos ſuas Mediolanenſem, & Ravennatem Metropolitas cum Suffraganeis convocare (2): neque tamen idcirco dici ii poſſunt aut fuiſſe, aut eſſe Ticinenſi ſubjecti. De Conſecratione vero eodem modo largus eſſe non poſſum. Quæ enim adducunt Ticinenſes in rem ſuam exempla, vereor, ne aſſequendo propoſito fini ſint minus idonea.

V. Primum enim exemplum de Felice Comenſi conſecrato a Mediolanenſi Epiſcopo Ambroſio, etiamſi Comenſis Eccleſia Aquilejenſi, non Mediolanenſi ſuffragaretur, facile corruit. Ea enim Eccleſia ſequentibus quidem ſeculis adhæſit Aquilejenſi Metropolitæ. Quod quando contigerit, quave data occaſione ignotum prorſus eſſe fatetur ingenue Aquilejenſis Eccleſiæ vindex eruditiſſimus Bernardus Maria de Rubeis Ordinis Prædicatorum (3). Ab origine tamen, & Ambroſii temporibus Mediolanenſi Metropolitano ſubjectam doctiſſimus idem vir & affirmat, & probat ex Synodo præcipue Mediolanenſi celebrata ab Euſebio anno 452, cui inter alios Provinciæ ejuſdem Epiſcopos *Abundantius* quoque *Comenſis* pro ſe, & Aſinione Curienſi ſubſcripſit (4). Quod contra ab Ambroſii Epiſtola quarta ad eundem Felicem data deſumitur argumentum, quam nullum ſit & inane, ſatis idem Scri-

(1) Conſule quæ Coletus de Euſebio Epiſcopo in hac ſerie n. 58. ex Murat in Anecd. tom. 1. pag. 246.
(2) Conſule Baronium ad annum 878.
(3) Vide ejuſdem monum. Eccl. Aquil. cap. I. num. VII.
(4) Ibid. cap. L. num. VII.

Scriptor oſtendit (1), ut in his ſuperfluum ſit diutius immorari.

VI. Neque magis Ticinenſibus favet aliud exemplum de Anemio Sirmienſi, quem, cum eſſet extra fines Metropolis Mediolanenſis, conſecratum legimus ab Ambroſio ex hac ipſa cauſſa Sirmium profecto. (2) Ut enim prætercam Baronii, aliorumque ſententiam, Sirmienſem Eccleſiam ad Mediolanenſem pertinuiſſe, quod Illyricum Lege Vatinia apud Svetonium in Cajo Julio Cæſare Galliæ Ciſalpinæ eſſet adjunctum (3); ut opinionem etiam prætermittam Cl. De Rubeis opinantis, Sirmium fuiſſe Metropolim, cui excitandæ anſam noviſſime dederant Photinus, & Germinius Ariani ejus Urbis Epiſcopi, qui avulſis per Illyricum a Communione Catholica Eccleſiis dominabantur; ideoque Sirmium fuiſſe profectum Ambroſium ad ordinandum Anemium, non jure metropolitico, quod in alium Metropolitam exercere non poterat, ſed *Sollicitudine charitatis*, ne ab Arianis favente Imperatrice Juſtina Arianus illic Epiſcopus ordinaretur (4); Ut hæc, inquam, omittam, notum eſt totum Illyricum a Conſtantino uni ex quatuor Præfectis Prætorio primum fuiſſe ſubjectum, qui Sirmii habebat ſedem: Eo poſtea in Orientale, & Occidentale diviſo poſtremum hoc acceſſiſſe ad Præfecturam Prætorianam Italiæ, ejuſque Vicarii ſedem fuiſſe Sirmii ſtabilitam. Quod non modo de Civili, ſed de Eccleſiaſtica etiam prærogativa intelligendum eſſe, documentum habemus in Novella XI. Juſtiniani Beliſarii Conſulatu notata, anno ſcilicet 535., ubi aperte ſignificatur, *in antiquis temporibus Firmi* [Sirmii] *Præfecturam fuiſſe*

(1) Ibid. cap. XX. num. I.
(2) Paulinus in vita S. Ambroſii.
(3) Ad annum 380.
(4) Ibid. cap. IX. num. III., & cap. XX. num. II.

ſe conſtitutam, ibique fuiſſe omne faſtigium Illyrici tam in civilibus , QUAM EPISCOPALIBUS CAUSIS. Quod in cauſſa fuit, cur inter Metropoles antiquiſſimas Sirmienſem etiam enumeraret Emmanuel a Scheleſtrate. (1)

VII. Magnam etiam habere videtur vim Urbis Ticinenſis ſitus. Sive enim Mediolanenſi Metropolitæ ſubjectæ fuerint ſeptem illæ Provinciæ, quibus Italiæ nomen peculiariter inditum fuit, ut eſt communis opinio, ſive brevioribus terminis regiones ultra, & cis Padum ſitæ, nemo facile ſibi ſuadebit, unam urbem Ticinenſem inter ceteras omnes Romano Metropolitæ ab origine fuiſſe reſervatam. Sed de hujuſmodi prærogativa plura fortaſſe, quam inſtituti mei ratio patiatur. Ad alia progrediendum eſt.

Cuinam ex Epiſc. Papienſ. primo cóceſſus fuerit uſus pallii.

VIII. Uſum Pallii, quo ab antiquiſſimo tempore Ticinenſes Epiſcopi gloriantur, Ennodio omnium primo conceſſum ex privilegio ab Hormiſda Summo Pontifice, qui ab anno 514. ſedit ad annum 523, affirmavit Ughellius. Negat Hormiſdæ temporibus id fieri potuiſſe Muratorius (2), propterea quod uſus Pallii ſolis tunc Metropolitis, & Patriarchis concederetur. Sed iis etiam temporibus Summos Pontifices pallio eos aliquando Provinciales Epiſcopos ornaviſſe, qui in alienis terris fuiſſent ſui vicarii, vel Sedi Apoſtolicæ ſtrenuam operam præſtitiſſent, Scriptores ex Patrum auctoritate non negant. *Convaluit*, inquit de Marca (3), *ut Romanus Pontifex pallio ornaret præcipuos Metropolitanos, qui ad ejus conſecrationem pertinebant, aut eos, quibus vices in Provinciis committebat*. Miſſum etiam ad Provinciales Epiſcopos pallium, quos non ornabat hujuſmodi prærogativa, Chriſtianus Lupus adductis probat exem-

(1) In Concil. Antioch. vindicat. cap. 13. not. 2.
(2) In Anecd. tom. 1. pag. 242.
(3) Lib. 6. cap. 7. n. 3. de concord. Sacerd. & Imperii.

exemplis (1), ex quibus ſi unum ſeligere lubeat, Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi viro ſanctiſſimo, & de Apoſtolica Sede bene merenti Brunechilde Francorum Regina petente pallium, primumqne ante omnes Provinciales Collegas locum S. Gregorius dedit (2). Quod Syagrio precibus Brunechildis aliiſque non paucis Gregorius fecit ſeculo ſexto; cur non potuit facere eodem ſeculo Hormiſdas Ennodio, qui, cum inſigni Apologetico Symmacum Summum Pontificem, Cauſamque quartæ Romanæ Synodi luculentiſſime defendiſſet nondum Epiſcopus, Ticinenſi poſtea auctus Sacerdotio Hormiſdæ juſſu duabus in Oriente Legationibus Summi ejuſdem Pontificis nomine perfunctus fuerat temporibus difficillimis apud Hæreticum Imperatorem (3)? Vocari potius in dubium poſſet, utrum hujuſmodi prærogativa Ennodio collata ſic fuerit, ut ad Epiſcopos eodem modo tranſiret, qui illi ſufficerentur. Si ad diſciplinam eorum temporum provocemus, eam adeo contrariam non inveniemus, ut nefas ſit affirmare conferri potuiſſe. Miſſum ſeculo ſexto ad Provinciales Epiſcopos pallium, quod *ab antiquo tempore* mitti ſolitum fuerat ad Epiſcopos ſuperiores, probat Chriſtianus Lupus (4). Sed cum hæc exempla frequentia non ſint, nec ullum certum ſit de hujuſmodi prærogativa apud Papienſes a ſexto ſeculo monumentum, ego etiam ſuſpicor ad alia poſteriora tempora protrahendum, referendumque vel Joanni VIII., quem ſcimus ſeculo nono Ticinenſem Eccleſiam ampliſſimis quaſi ſupra fidem privilegiis ornaſſe (5), vel etiam fortaſſe Zachariæ ſeculo octavo. Cum enim

(1) Tom. VIII. de Afric. Eccl. Rom. appellat. cap. IX.
(2) Co[illegible]ule Epiſt. 5. lib. 7. antiq. edit. Oper. S. Greg.
(3) [illegible]le Baron. ad an. 502. & 507.
(4) [illegible]iaud.
(5) [illegible]ep. 139. apud Labb. Concil. tom. XI. Vide Baronium ad annum 878.

enim Summus ille Pontifex a Liutprando Rege præ ceteris omnibus accepiſſet obſequii, religionis, liberalitatis argumenta quam maxima, ut omnibus notum eſt; & Ticinum profectus, quæ nomine Eutichii Exharchi, & univerſæ Æmiliæ popoſcerat, etſi negata ceteris Oratoribus, impetraſſet (1), fieri non improbabiliter potuit, ut Regi benemerenti benevolentiam ſuam teſtari voluerit, & ejus gratia Ticinenſis urbis, quæ Regni ſedes erat, Epiſcopis uſum pallii, aliaſque prærogativas ultro conceſſerit. Sed hoc, fateor, eſt divinare. Sigonius acceptum refert hoc privilegium Anaſtaſio III. Summo Pontifici anno 911. Berengario Rege precante (2), & rem ſic enarrat & modum. *Cupiebat Berengarius Papiam, ut quæ Regni ſedes erat, honore ſupra reliquas regni Civitates efferre. Itaque quoniam Eccleſiam ejus metropolitana afficere dignitate non poterat, jus atque inſignia novo Epiſcopo conquiſivit; eique ut Anaſtaſius Pontifex jus indulgeret adhibendæ umbellæ, equo albo utendi, Crucis præferendæ, & in Concilio a læva Pontificis aſſidendi obtinuit.* Iiſdem verbis Ciacconius utitur in Anaſtaſio III., & Baronius ad annum 910. Etſi vero nullum ibi de pallio ſit verbum, facile tamen quiſquis intelligit, comprehendi debuiſſe, cum Berengarius Epiſcopo Ticinenſi dicatur conquiſiviſſe Metropoliticæ dignitatis inſignia. Sigonii auctoritati ego maxime defero, eoque duce emendandum cenſeo Ughellium, qui non aſſerit hæc privilegia ab Anaſtaſio III. Ticinenſi Epiſcopo fuiſſe conceſſa, ſed quæ collata ab Hormiſda fuerant, confirmata. (3)

IX. Venio nunc ad Epiſcopos. Duos ſupra trigin-

ta

(1) Ex ejuſdem vita apud Anaſt.
(2) De regno Ital. lib. 6. ad annum 911.
(3) Ad Joannem hujus nominis III. in ſua Papienſium ſerie num. 50.

ta ex his enumerat Papienſis Eccleſia ſanctimoniæ laude præclaros, quos ſibi in cælis patronos veneratur & colit. Atque utinam, ſicuti & vetuſtæ originis gloria ab ipſis Apoſtolorum temporibus, & ſanctorum Antiſtitum numero nulli cedit Eccleſiæ; ita & monumenta proferre de omnibus poſſet nullis commentis immixta, nullis fabulis, nullis ineptis ſcatentia narrationibus. Sed mirandum non eſt eidem fato miſero funeſtoque ſubditam fuiſſe Ticinenſem, quod omnibus nobiliſſimis commune fuit Eccleſiis. Profecto ſiquis Papienſium eorum Epiſcoporum ſeriem excurrerit, qui prioribus illis ſeculis huic Eccleſiæ præfuiſſe dicuntur; quæque ex eorum Actis derivavit Ughellius, conſideraverit, mecum in hac re facile, ut puto, conſentiet, ipſo etiam Ughellio quandoque non diſſentiente. Non ideo tamen aut iis diem indicam, aut eos de ſede movebo. Quid enim eoſdem ab antiquiſſima, qua fruuntur, cultus, & ſedis poſſeſſione deturbem, niſi prius probe conſtiterit eos male, fictiſque nominibus in poſſeſſionem immiſſos? Id certe neque commenta, neque insertæ in Actis, ut putantur, fabulæ probant. Ex iis id ego potius colligo alios eos fortaſſe fuiſſe, quam qui fuere vulgati, alia patria, alia ætate, alia etiam virtute. Nullos fuiſſe non dicam. Non ibo tamen inficias, plures in hac ſerie Epiſcopos recenſeri ejuſdem nominis; quorum ſi Acta conſideres, ad unum ex pluribus contrahendos facile, & merito ſuſpicaberis. Huic malo, ſi fuit, occaſionem puto dare potuiſſe eadem Acta diverſis fortaſſe temporibus, auctoribuſque conſcripta. Dum enim inter ſe ſequentibus ſeculis conferuntur, ex varietate ſtyli atque circumſtantiarum, ex temporum notis vel variantibus, vel obſcuris, ex geſtis atque miraculis, quæ in Actis quibuſdam fuſioribus exponuntur, in aliis brevioribus reticentur, ex Imperatorum, Conſulum,

Acta multorum SS. Epiſc. Papienſium commentis immixta non eos arguunt commentitios.

Plures ejuſdem nominis Papienſes Epiſcopi primis Eccleſiæ ſeculis facile ad unum contrahendi.

Pontificum cronologia non recte ubique ſervata facile eſt, confidentiam augendi ſub eodem nomine Sanctorum numeri eos præcipue ſumere potuiſſe, qui falſo opinabantur Eccleſiarum gloriam imminui, ſi in ſerie aliquis pateret hiatus Epiſcopis vacuus. Hinc ex primis illis alia fortaſſe Acta conflarunt, in quibus diverſa Sedis tempora deſignantes, initium, ac finem muneris obiti diverſis temporibus illigantes, geſta atque miracula partientes, ex ingenii etiam ſui vena multa promentes, duos ex uno fonte fecerunt. Horum profecto in aliis etiam Eccleſiis non unum eſt apud Bollandianos exemplum. Sed quinam ii ſint in hac ſerie exponendum breviter eſt.

X. Tres Criſpinos Antiſtites ſuos inter Cælites poſitos veneratur Papienſis Eccleſia. Ughellius dubitat, utrum Primus, qui ab anno 216. ad annum 253. hanc ſedem dicitur obtinuiſſe, confundi cum Tertio debeat, qui ab anno 432. ad annum 466. juxta, ut aſſerit, communiorem calculum ſedit. Ego vero præterea dubito, unicus ne fuerit, qui factus triplex in varia tempora fuerit diſtributus. Sanctum Criſpinum Primum a Tertio minime diſtinguendum, plura ſunt, quæ perſuadere videntur. Primo, eadem die Januarii ſeptima utriuſque nomen ſacris Eccleſiæ tabulis inſcriptum eſt, ut contra Ferrarium obſervat Henſckenius(1). Secundo, quæ de Primo Criſpino referuntur ab eodem Ferrario in ejus vita, vel veritati non videntur eſſe conformia, ut infra, vel de Sancto Criſpino Tertio ab Ennodio narrantur in vita Sancti Epiphanii ejuſdem Sancti Criſpini diſcipuli. Tale eſt, quod *de Summo Pago agroque Summiate, & lite per Sancti Criſpini Primi Diaconum* compoſita Ferrarius ſcribit(2): quod a Sancto Criſpino Tertio factum teſtatur Enno-

Ex tribus ſub eodem Sancti Criſpini nomine Epiſcopis facile unus.

(1) Tom. I. Januarii ad diem VII.
(2) In Catal. SS. Ital. ad diem VII. Januar.

nodius. Tertio, a Sacerdote Chriſtiano, & quidem omnibus noto [prohibitus enim dicitur, ne Prædicationis fungeretur officio] non modo Templa, ſed & Urbem ipſam tanto ſtudio ornari potuiſſe, viis ejus hortatu lapidibus ſtratis, egregioque, qualis etiam nunc viſitur, ponte Ticinum ſuper impoſito, funeſtis illis ſeculi tertii temporibus difficilem fidem inveniet. Id fieri potuiſſe ſeculo quinto inclinato, erunt fortaſſe, qui non negabunt. Præterea Scriptores de Primi Criſpini hujus ætate non conveniunt: quod in cauſſa fuit, cur de eo & Ughellius, & alii graviſſime dubitarent (1).

XI De Sancto Criſpino Secundo, qui hanc Cathedram dicitur occupaviſſe ab anno 275. ad annum 305., eadem ratio ſuppetit dubitandi. Immaniſſimis illis Diocletiani, & Maximiani temporibus, quibus Chriſtiani in ſpeluncis, & cavernis latitare tuti non poterant, & Cathedrale templum extitiſſe Ticini, & Sacellum ab hoc Sancto Criſpino conſtrui in eo, atque in Sanctæ Crucis memoriam dedicari potuiſſe, & alia templa in honorem aliorum Sanctorum Martyrum ædificari (2), non deerunt, qui negent aſſentiri ſe poſſe. Revera ex hac ipſa ratione Epiſcopus hic ipſimet ſuſpectus fuit Ughellio. Quanto rectius hæc de Sancto Criſpino Tertio vir prudens quinto ſeculo judicabit? Accedit his, ejus ætatem eſſe admodum dubiam, & cum iis conciliari non poſſe, quæ apud Baronium & in Romano Martyrologio legimus de Sancto Dalmatio, qui poſt Sanctum ipſum Criſpinum Ticinenſem & ipſe ſedem dicitur impleviſſe. Si enim Dalmatius

(1) Conſule Henſch. loco cit.

(2) Vide quæ de hoc Sancto Criſpino II. Ughellius num. in ſua ſerie XII.

tius ſub Maximiano martyr occubuit (1), qui fieri poteſt, ut Sanctus Criſpinus, qui Sancto ipſi Dalmatio in Epiſcopatu præivit, vita functus fuerit anno 305. Octobri menſe, ut ex Scriptoribus Ticinenſibus affirmavit Ughellius? Sequeretur ex his Sanctum Dalmatium, qui hanc Eccleſiam per annum dicitur adminiſtraſſe, coronatum fuiſſe martyrio anno 306., vel menſe Decembri cum Ughellio, vel ſaltem menſe Novembri. Atqui id eſſe non potuit. Nam depoſita a Maximiano imperii inſignia anno 304. conſentiunt omnes. Nec dici poteſt paſſus fuiſſe ſub Maximiano Dalmatius, quia etiamſi ſe ab imperio abdicaviſſet; quæ tamen ſub ipſo, & Diocletiano inceperat perſecutio, ſub eorum nomine diutius perſeveravit. Etenim id ſolum contigit in Oriente, ubi ab ultimis eorum Imperatorum decretis anno vulgatis 303. ad annos decem ejuſdem ſemper perſecutionis nomine inChriſtianos ſævitum fuit (2). In Occidente vero præcipue in Italia non item. Sub novis enim Imperatoribus perſecutionis ardor paullatim ita deferbuit, ut non niſi ad annos duos ea edicta viguerint; iiſque revocatis ab Imperatore Maxentio anno 306., facta fuerit in Eccleſia primis ſaltem ejus imperii temporibus magna tranquillitas (3). Hac, ut puto, de cauſſa Baronius Dalmatii martyrium ad annum ſtatuit 303. (4). Sed ſi ita eſt, jam plane conſequitur, obitum Criſpini Secundi anno 305. contingere non potuiſſe, ſed ad ſuperiora tempora retrahendum.

Facile unus fuit Sanctus MaximusEpiſcopus, non duplex.

XII. Eadem, quæ de triplici Sancto Criſpino, recurrit difficultas de duobus Sanctis Maximis Primo, &

(1) Ex Martyrol. Rom.; Bedæ, Uſuardi, Adonis, aliorumque.
(2) Conſule Baron. ad an. 311. num. LVII.
(3) Conſule Baronium ad annum 306. num. XXV., & ſeqq. Ex Euſeb. lib. 8. cap. 25., & 26.
(4) Tom. I. ad hunc annum num. CXXIII.

& Secundo; quorum alter ex Ughellio Ticinenſem rexit Eccleſiam ab anno 266. ad annum 270.; Alter vero Sancto Epiphanio ſuffectus dicitur anno 498. De Sancto Maximo Secundo nullum eſt dubium, cum ad eum plures epiſtolas, & dictiones Ennodius nondum Epiſcopus miſerit, & ſingularibus laudum præconiis ornaverit. De Primo vero alium a Secundo non fuiſſe ex eo poſſumus ſuſpicari, quod quæ pauca de eo traduntur, iis temporibus non conveniant, quibus vixiſſe traditur; conveniant autem illi ſeculo, quo vivebat Secundus. Sic Ferrarius multa ab hoc Epiſcopo de Regis Officio ſcripta fuiſſe commemorat. *Qui autem*, ut egregie obſervavit Bollandus (1), *eo vivente erant Reges in Italia, quorum occaſione ille de Regis officio commentaretur? Deinde ipſi Imperatores adhuc Etnici erant: Neque ſcilicet inſtitutionem ex hominis Chriſtiani lucubrationibus petituri. Quid ergo? An iis temporibus librum ediderit Vir Sanctus, cujus nulla privatim, aut publice conſtare poſſet utilitas?* Hæc autem Sancto Maximo Secundo initio ſeculi ſexti objici nequeunt. Regnabat enim eo vivente in Italia Theodoricus Rex, qui cum Ticini frequentiſſimus eſſet, & multa præclara geſſiſſet in eorum populorum utilitatem, hortante imprimis Sancto Epiphanio, qui eidem Sancto Maximo proxime in hoc ipſo Epiſcopatu præiverat (2), nil facilius, quam quod Sanctus Epiſcopus eidem librum de Officio Regis inſcripſerit.

XIII. A Sancto Maximo Primo Sanctus Epiphanius Primus exceptus dicitur anno 270., & ab eo Tici-

(1) Tom. I. Januarii ad diem VIII.

(2) De S. Epiphanii legat. ad Gundobaldum Regem nomine Theodorici, & de impetratis per S. Epiphanium a Theodorico ad ſublevandas Liguriæ miſerias vide infra ex Ennodii vita.

cinenſis Eccleſia ad annos quatuor adminiſtrata. Cum apud Boſſium legiſſet Ughellius ab hoc Sancto Epiphanio deſtinatum fuiſſe Legatum ad Felicem I. Romanum Pontificem Myroclem affinem ſuum, & pro bene geſta legatione ab eodem creatum Epiſcopum Mediolanenſem; obſervaſſet autem tempora non reſpondere, cum Myrocles in Cathedra Mediolanenſi non ſederit ante annum 307., imperante Maxentio; ex hac temporum antilogia ſuſpicatus eſt vehementer, Sancto Epiphanio rem fuiſſe cum altero Myrocle ſibi coævo, qui confuſus fuerit cum poſteriore Mediolanenſi. Ego vero maxime dubito, ſanctus ne hic Epiphanius Primus confundi debeat cum Secundo viro ſanctiſſimo, & celeberrimo, cujus vitam ſcripſit Ennodius. Adverto enim Sanctum Epiphanium Primum eum dici a Boſſio, cujus corpus in Cathedrali Hildeſeimienſi in Saxonia aſſervabatur (1). Quod autem Hildeſeimum traductum fuit, Epiſcopo Otwino curante, debuit eſſe corpus Sancti Epiphanii Secundi, ſicuti cenſet Henſchenius, qui unicum tantum agnoſcit, (2) non Primi. Etenim cum Sancti Epiphanii Sepulchrum Ticini refoderetur ad ſacras ejus exuvias eo avehendas, repertum fuiſſe prope illud etiam Sarcophagum Sanctæ Speciosæ Sancti Epiphanii, quem Secundum dicimus, Sororis, narrat ejuſdem translationis hiſtoria anonymo auctore Hildeſeimienſi coævo, &, ut videtur, præſente conſcripta (3). Nil probabilius, quam quod Soror Sancta cum Fratre Sancto tumulata proxime fuerit; quod ſatis aperte ex eo ipſo Scriptore colligitur, qui ejus corpus uno *eodemque Templi ambitu cum corpore Fratris incluſum* memorat; Ughellio non diffiten-

Sanctus Epiphanius ex uno facile factus duplex Epiſc. Papienſis, & in diverſa tempora diſtributus.

(1) Apud Ughell. ad hunc num. in ſua ſerie II.
(2) Tom. 2. Januarii ad diem 21., ubi de Sancto Epiphanio.
(3) Eſt apud Henſch. loco cit.

tente, qui ex quatuor Sancti hujus Epiphanii II. Sororibus hanc unam aſſerit prope Fratrem habuiſſe ſepulchrum. Illud accedit, quod corpus illud, eodem teſte Scriptore, erat ejus Sancti Epiphanii, qui ex omnibus ſuperioribus Epiſcopis poſt Sanctum Syrum apud Ticinenſes celeberrimus erat. Hunc autem eſſe Sanctum Epiphanium, quem Secundum dicunt, extra dubium eſt. Unus igitur erat tunc in Ticinenſi Eccleſia Epiphanius, unumque ejuſdem corpus. Quod ſi duo fuiſſent ejuſdem nominis, & duplex corpus, de utroque ab eo Scriptore facienda fuerat aliqua mentio. His, quæ Boſſius narrat de Sancto Myrocle, occaſionem puto dare potuiſſe id, quod de eodem Sancto Epiphanio legitur apud Ennodium in ejus vita: Eum ſcilicet ex materna proſapia cum Sancto Myrocle Mediolanenſi Epiſcopo fuiſſe conjunctum.

XIV. De Sancto Eventio, ſive, ut Ughellius eum vocat, Juventio Secundo, qui in ſerie Ughelliana numerum occupat decimum octavum, dubitatum ab aliquibus fuit, *Ticinenſis* ne Epiſcopus fuerit, an *Cenetenſis*, propterea quod in Concilio Aquilejenſi anno 381. corrupto vocabulo apud Binium & Labbeum in textu reperiatur inſcriptus *Citinienſis*; in margine vero *Tinienſis*, & in Romana editione *Cenetenſis*. Ticinenſem fuiſſe clariſſimi Patres Benedictini in egregia Operum Sancti Ambroſii editione ex codice regio, & Chifletio probarunt: Quibus aſſentitur V. Cl. Bernardus Maria de Rubeis Ord. Prædicatorum (1). Eventium hunc ipſum ad annum producit Ughellius 404. Ego vero vita arbitror functum anno 397., uno aut altero ante Sancti Ambroſii obitum menſe. Etenim in vita ejuſdem Sancti Ambroſii a Paulino conſcripta legitur Sanctum Epiſcopum diebus octo, antequam ex

Sanctus Eventius, ſive Juventius Secundus an Epiſc. Papien; quo anno obierit; & an a Primo diverſus.

(1) Conſule ejuſdem Monum. Eccl. Aquil. Cap. IX. num. II.

ex morbo ultimo laboraret, Sacerdotem, [quo nomine tunc Epiſcopi appellabantur, ut notum eſt] Ticinenſem conſecraviſſe. Obierat igitur tunc Ticinenſis Epiſcopus, qui alius ab Eventio eſſe non potuit ab anno 377. hanc Eccleſiam adminiſtrante, & Concilio Aquilejenſi anno 381. præſente. Itaque vel inter Eventium hunc, & Tibaldum, qui illi ſuffectus dicitur, medius fuit alius Epiſcopus nobis non cognitus, vel Tibaldi Pontificatus non eſt ſtatuendus cum Ughellio ad annum 404., ſed 397., quo uno, aut altero ante obitum menſe conſecrari debuit ab Ambroſio paullo poſt immortali vita donato, Cæſario, & Attico Coſſ., anno poſt Theodoſii mortem tertio (1). De hoc eodem Eventio præteriri non debet, non ſatis ſibi conſtantem eſſe Baronium. Ad annum enim 381. num. 83. eundem putat cum Juventio, quem inter Cælites colimus die octava Februarii; In notis vero ad Martyrologium omnino diverſum. Ex Actorum Sancti Syri Primi Ticinenſium Epiſcopi veritate pendet hæc quæſtio. Si vera ſint, diſtinguendus uterque, cum Juventius, ſive Eventius, cujus octava die Februarii ſolemnia colimus, primo, & ſecundo æræ Chriſtianæ ſeculo vixerit in Ticinenſi Sede, ipſumque Ticinum miſerit cum Syro Hermagoras Aquilejenſis. Acta Hermagoræ adverſum Criticorum hominum argumenta Bernardus Maria de Rubeis tuetur, atque propugnat (2). Id ſi doctiſſimus vir evincit, etiam de Actis Sancti Syri, ſi commenta quædam excipias, quibus immixta ſunt ſequentibus fortaſſe ſeculis, ſalva res eſt, & cum iis Actis etiam ſalvus Eventius. Arctiſſimo enim inter ſe vinculo colligantur.

Sanctus Epiphanius II. quo anno fuerit factus Epiſc. Papien., quove obierit.

XV. Venio nunc ad Sanctum Epiphanium, quem Secundum hujus nominis dicunt, ab Ughellio in ſua ſerie

(1) **Ex vita per Paulinum ſcripta.**
(2) **In Monum. Eccl. Aquil. cap. III.**

Digitized by Google

ſerie vigeſimo ſecundo numero collocatum. De ejus Epiſcopatus tempore, mirum eſt, quantum inter ſe Scriptores diſſideant. Obiiſſe eum tradit Spelta, cum adhuc eſſet in vivis Zeno Imperator, Romæ vero ſederet Simplicius Pontifex (1); ideoque ante annum 491. Eo enim anno obiit Zeno, Conſule Patritio juniore. Saccus ſub Gelaſii Pontificatu, qui Zenonis, & Theodorici temporibus Eccleſiæ præfuit (2). Syrmundus Sanctum Epiphanium deceſſiſſe ſcribit XII. Kal. Februarias anni 497., anno ætatis quinquageſimo octavo nondum expleto, creatumque Epiſcopum anno 467. (3). Petavius Epiſcopum tradit factum anno 466. (4). Saccus & Spelta Epiphanii vitam ab Ennodio conſcriptam, ut video, non legerunt. Petavius veritati acceſſit. Syrmundus judicio meo acu rem tetigit. Quod Ennodii vitam legenti patebit aperte. Ad annum enim quod pertinet, quo, Criſpino defuncto, Epiphanius Epiſcopus factus eſt, legimus apud Ennodium Epiphanium ſeptimum jam annum in Epiſcopatu explevitſe, & inchoaſſe octavum, quando Nepotis Imperatoris nomine Orator profectus eſt ad Euricum Viſigothorum Regem (5). Legationem hanc contigiſſe anno 474. prope finem plerique cum Baronio conſentiunt (6). Neque, ſi lapſi ſunt, lapſus potuit eſſe graviſſimus, cum Nepos die Junii vigeſima quarta ejus anni dictus fuerit Imperator, anno vero ſequenti depoſitis imperii inſignibus die Auguſti vigeſima octava Salonam profugerit (7). Igitur ſequitur

C Epi-

(1) Ex Bull. & Henſch. tom. II. Januarii ad diem 21.
(2) Hiſt. Ticin. lib. 7.
(3) Ex Bolland. & Henſch. loco laud.
(4) Ex Bolland. & Henſch. loco laud.
(5) Cap. 7. n. 29.
(6) Ad annum 474.
(7) Conſule Ann. Ital. Murat. ad annum 475.

Digitized by Google

Epiphanium fauctm Epiſcopum vel initio anni 468., vel fine anni 467. Neque minus evidenter poſſumus expiſcari tempus ejuſdem obitus. Nam eam legationem, quam narrat Ennodius Theodorici Regis nomine ab Epiphanio ſuſceptam in Gallias ad Gundobaldum Burgundionum Regem pro redimendis captivis, perſpicue apparet, contigiſſe anno 494. ex epiſtola Gelaſii Papæ ad Ruſticum Lugdunenſem Epiſcopum data VIII. Kal. Februarias, Aſterio, & Præſidio VV. Clariſſ. Coſs. *Ceterum*, inquit ibi, *Frater noſter Epiphanius, qui ad gentis ſuæ miſerias ſublevandas, & redimendos captivos ad partes veſtras deſtinatur* (1). Hæc cum illis collata, quæ de eadem legatione narrat Ennodius, vitæ ejuſdem tempus facile ſignificabunt. Scribit enim, eum menſe Martio iter in Gallias ſuſcepiſſe, tertioque menſe inde rediiſſe; ac, dum ſperabat fore ut tandem a continuis moleſtiis conquieſceret, biennio nondum exacto, populorum ſuorum charitate coactum eſſe itineri ſe denuo committere, & Regem Theodoricum Ravennæ convenire ad eorum calamitatem levandam; qua ex legatione dum rediret, catarrum in Urbe Parma contraxiſſe; itaque valetudine affecta Ticinum demum perveniſſe, ibique ſeptimo poſt die ex morbo deceſſiſſe. Hæc rerum geſtarum ſeries jam inde ab anno 494., quo Acterius, & Præſidius Conſules fuerunt, calculo ducto, declarat diem ſuum obiiſſe Epiphanium anno 497. Nam menſe Martio anni 494. iter in Gallias arripit, & tertio menſe redit in patriam: ergo menſe Junio ejuſdem anni. Biennio nondum exacto ad Theodoricum proficiſcitur Ravennam: ergo ante menſem Junium anni 496. Impetratis ad levandas Liguriæ miſerias *duabus præſentis Indictionis fiſcalis calculi partibus* æger Ticinum revertitur moriturque: ergo anno ſe-

(1) Eſt apud Labb. tom.5. pag. mihi 384.

ſequenti 497., die, ut par eſt credere, Januarii vigeſima prima, qua Ticinenſis Eccleſia ejus ad Cælum tranſitum celebrat. Etenim ejuſdem moram Ravennæ ad multos menſes, & ad tempus hiemale protractam fuiſſe, Theodorico, cui cariſſimus erat, ita fortaſſe volente, illud eſt argumentum, quod in reditu catarrum contraxerit, Ennodio teſte, *ex aere ningido*, ideoque hieme ſæviente. Series hæc chronologica iis perfecte reſpondet, quæ de Epiphanio narrat Ennodius: ſcilicet decimum octavum annum egiſſe, cum eum Levitam Criſpinus fecit, vigeſimum, cum Diaconum, in Diaconatu annum octavum impleviſſe, in Sacerdotali, ſive Epiſcopali trigeſimum, obiiſſe anno ætatis ſuæ quinquageſimo octavo. Si enim demus vita functum fuiſſe anno 497., conſequens eſt, ut natus fuerit anno 439., ut Levita factus ſit anno 457., Diaconus vero anno 459. ætatis ſuæ vigeſimo. Quibus ſi anni octo ſuperaddantur, quibus exercuit Diaconatum ad annum uſque ætatis octavum ſupra vigeſimum, & triginta, quibus Sacerdos, & Pontifex fuit, annos Chriſti conficiunt 497. , ætatis vero ſuæ octo & quinquaginta. Id ſi verum eſt, non eſt ſtatuendus ad annum 498. Epiſcopatus Sancti Maximi, qui in hac Eccleſia regenda Sancto Epiphanio proximus fuit, ut voluit Ughellius, ſed ad annum probabiliter 497. poſt obitum Epiphanii, quod ex dictis plane conſequitur.

Quo anno S. Maximus II. Epiſcopatum iniverit.

XVI. Numero in Ughelliana ſerie 32. Sanctum Damianum Sancto Anaſtaſio Secundo ſuffectum legimus anno 680. Eundem anno ſuperiore Ticinenſem jam conſecratum Epiſcopum videtur aſſerere Paulus Diaconus (1). Loquens enim Paulus de ſexta œcumenica Synodo refert, ſcriptam in Concilio Mediolanenſi habito anno 679. a *Damiano Epiſcopo* Epiſto-

Sanctus Damianus quo anno regendam acceperit Eccleſiam Papienſ.

 lam

(1) Lib. 6. cap. 4.

lam magnæ utilitatis ad Conſtantinum Imperatorem ſub nomine Manſueti Epiſcopi Mediolanenſis. Nondum tamen Epiſcopum eum fuiſſe Paggius oſtendit (1). Cum enim Concilium illud Mediolanenſe celebrari omnino debuerit ante Romanum ſub Agathone, nondum potuit in eo Epiſcopus eſſe Damianus. Quomodo enim Damianus tunc Epiſcopus Ticinenſis eſſe poterat, ſi adhuc vivebat Anaſtaſius Secundus, quem poſt Concilium Mediolanenſe ſubſcripſiſſe legimus Concilio illi Romano? Concilium Mediolanenſe habitum fuiſſe ante Romanum evidens eſt. Poſt enim celebratum Romæ Concilium, cui adfuerat inter ceteros Manſuetus Mediolanenſis cum Suffraganeis ſuis, & poſt damnatam in eo ſingulorum linguis, & calamo Monotheliticam hæreſim; quid eoſdem Suffraganeos ſuos Manſuetus ſtatim Mediolani iterum congregaret nulla alia de cauſſa, niſi, ut hæreſim, quam jam damnaverant, iterum condemnarent? Presbiter igitur Damianus erat in Mediolanenſi Concilio, eumque Paulus Diaconus Epiſcopum dixit, non quia tunc eſſet, ſed quia poſtea fuit.

Quis Sancto Damiano ſucceſſerit.

XVII. Sancto Damiano ſuffectum Ughellius aſſerit *Armentarium* anno 711. Si vero Muratorium audiamus, Damianus *Theodorum*, non Armentarium probabiliſſime, ut inquit, excepit (2). Id ex eo judicio colligit Muratorius, quod a Liutprando Rege latum eſt anno 715. in controverſia, quæ tunc ſervebat quam maxime inter Arretinum, & Senenſem Epiſcopos, de qua nos alibi (3). Inter alios enim Epiſcopos ſibi adfuiſſe Liutprandus affirmat in ſuo decreto, cujus exemplar Muratorius eduxit ex celebri Tabulario Canonicorum Arretinorum, *Theodorum Epiſcopum Ca-*

(1) Ad annum 679. ubi de Synodo Mediol. num. V.
(2) Conſule ejuſdem Annal. Ital. ad annum 715.
(3) De Eccl. & Epiſc. Arretinis

Caſtri noſtri, cujus nomine Ticinum a Liutprando ſignificari potuiſſe cenſet, probatque conjecturis minime contemnendis. Sed Cl. Abbas Grandius ab omni dubio nos liberat. In eo enim ipſo Liutprandi judicio, cujus aliud exemplar prodidit ex Tabulario Monaſterii Arretini Sacrarum Virginum Sancti Benedicti, legit quidem *Theodorum Epiſcopum Caſtri noſtri*, addita tamen voce *Felicitatis* (1), quam eam Urbem ſignari, quam nunc dicimus Civitatem Caſtelli, alibi invicte probabimus.

XVIII. Itaque Sanctum Damianum ſequutus eſt Armentarius, qui quo anno obierit, & vacuam Sedem reliquerit, plane incertum eſt. Ferrarius illius obitum protrahit ad Gregorii Tertii Pontificatum Leone Iſaurico Imperatore (2), ideoque poſt annum 731. Id vero iis convenire non poteſt, quæ de S. Petro dicturi mox ſumus. Ughellius ad annum 730. Sed recurrit eadem difficultas, ut obſervabimus. Ego ad annum circiter ſtatuo 726., quo, ut mihi videtur, non ſolum ſalva ſunt omnia; ſed ejus obitu poſito ſive admodum ſupra, ſive admodum infra, explicari non poſſe contendo, quæ de Epiſcopo Sancto Petro referuntur, ut mox videbimus. Hic ille Epiſcopus eſt, quo ſedente, Sancti Auguſtini corpus Ticinum ex Sardinia translatum eſt Liutprando Rege curante. Ex Actis enim Sancti Petri Ticinenſis Epiſcopi diſcimus, Sanctum ipſum Petrum auctorem Regi Liutprando fuiſſe, ut Sancti Doctoris corpus ex Sardinia Ticinum deduceretur; idque cum nondum eſſet Epiſcopus, ideoque Epiſcopo Armentario in vivis adhuc agente. Etſi enim de tempore ſancti illius corporis translationis Scriptores in multas abeant, diverſaſque ſententias; cum tamen neque ſit, qui eam magis contrahat

Sanctus Armentarius quo anno deceſſerit.

(1) Epiſt. de Pandectis in appendice num. 1.
(2) In ejus vita.

Digitized by Google

hat, quam ad annum 722. ; neque qui magis protrahat, quam ad annum 725., neceſſe omnino eſt ut Armentarii tempora comprehendat.

Utrum Sancto Armentario ſucceſſerit Sanctus Petrus I., & quando.

XIX. Sancto Armentario ſuffectus dicitur ex Ughellio Mauritius ab anno 730. ad annum 734. Mauritio Anaſtaſius hujus nominis Tertius ab anno 734. ad annum 737. Anaſtaſio Theodorus hujus nominis Primus ab anno 737. ad annum 750. Theodoro Sanctus Petrus ab anno 751. ad annum 766. Mihi perſuaſum eſt Sancto Armentario Sanctum Petrum proxime ſucceſſiſſe; idque anno circiter 726. Quod ut evidenter oſtendam, præmittenda plurima ſunt partim ex Actis ipſius Sancti Petri, partim ex ſepulcrali ejuſdem Elogio. Utraque apud Bollandianos habes ex Paulo Diacono, aliiſque (1). Ex Actis quidem, primo, Sanctum Petrum adhuc adoleſcentem, quod eſſet Anſprandi, & Liutberti conſanguineus, in exilium relegatum apud Spoletum, ſive, ut alii malunt, in Etruriam apud Montem Sancti Sabini: ſecundo revocatum in patriam a Liutprando Rege, Ariperto defuncto: demum in Ticinenſi Cathedra collocatum fuiſſe, & tres ſupra decem annos in ea exegiſſe. Ex ſepulcrali vero Elogio, miſeram in exilio vitam traxiſſe annos decem; factum Epiſcopum Ticinenſem; & poſt Eccleſiam ſanctis inſtitutionibus communitam, templis ornatam, opibus locupletatam in Domino obdormiviſſe annum agentem quinquageſimum quartum. Hujuſmodi Elogium huc traducere non inutile cenſeo.

Candida funereo ſculpuntur marmore geſta:
Sed non eſt ſplendor, qui jacet in tumulo.
Lugeat infauſtus, qui neſcit vivere Chriſto,
Poſt mortem carum tartara quem retinent.

Hic

(1) Tom. 2. Maii pag. 194.

Hic vates Domini mundo quia corpore vixit,
Admixtus gaudet cœtibus angelicis.
Claruit hic meritis Petrus Antiſtes honeſtus:
Norma Sacerdotum, Columen eximium.
Munificus, conſtans, ſolers, prudenſque, modeſtus,
Qui innumeris ſemper pollet ubique bonis.
Inclytus Proſapia, Regumque ſtemmata tangens
Bis quinis annis exulat innocuus.
Eſuriemque, ſitim patitur dum, & frigora corpus,
Spe, Virtute, Fide Spiritus auctus erat.
Sed repetens genitale ſolum pia munia geſſit,
Præfuit Eccleſiæ, rexit ovile Dei.
Iſte Sacras Domini condens liberaliter aulas,
Ditavit propriis optime ceſpitibus.
Sublimis, humilis, mediocris, dives, egenus,
Occubuit Paſtor noſter en Egregius.
Planctibus immenſum clamantibus flete dolorem.
Lux Patriæ occubuit, lex, honor, atque decus.
Oh venerande Pater, Paſtor bone, Magne Sacerdos:
Forma pudicitiæ, oh Pater eximie.
Mutaſti Patriam linquens conſortia noſtra:
Nos tantum gemitus retinent, Te gaudia Cæli.
Expletis decem mortali in corpore luſtris
Quatuor bis junctis vixiſti firmiter annis.

His facile eſt imprimis oſtendere, Sanctum Petrum non potuiſſe anno 751. regendam accipere Ticinenſem Eccleſiam poſt Mauritium, Anaſtaſium, & Theodorum; eamque ad quindecim annos adminiſtrare ad annum uſque 766., ſicuti cum Boſſio affirmavit Ughellius. Nam cum certum ſit ex lapide ſepulcrali, cui fides negari non poteſt, Petrum obiiſſe poſt annum vitæ expletum quinquageſimum quartum; ſi demus mortuum eſſe anno 766., ſequitur neceſſario natum fuiſſe anno 712. Si vero Petrus ab Ariperto Rege miſſus in exilium revocatus inde non fuit ante ini-

initum regnum a Liutprando, annis decem in eo conſumptis, quomodo naſci potuit anno 712., quo Ariperto, & Anſprando vita jam functis regnum iniit ipſe Liutprandus (1)? Exulavit igitur ad annos decem, antequam naſceretur.

XX. Nec minus facile eſt ex his inferre neque Mauritium, neque Anaſtaſium Sancto Petro præire potuiſſe. Fac enim Sanctum Petrum Anaſtaſio fuiſſe ſuffectum anno 737. Hanc igitur Eccleſiam Petrus ad annum rexit 750. In lucem igitur venit anno 696: & cum eſſet annorum ſeptem Ariperti nempe anno ſecundo, qui ante Liutprandum Regem decimus fuit, exilio mulctatus, quod nullus dixerit. Fac Epiſcopum factum fuiſſe anno 734. poſt obitum Mauritii. Vixit igitur in Ticinenſi Sede ad annum 747. Natus igitur fuerat anno 693. Anno igitur ætatis ſuæ decimo nec dum completo in exilium relegatus. Eo autem puer erat, non adoleſcens. Neque poſſumus probabiliter ſuſpicari ab Ariperto juſſum exulare Petrum annis ejus regni poſtremis, quibus adhuc eſſet adoleſcens. [In hoc enim uno caſu inter Armentarium, & Petrum aliis Epiſcopis locus eſſe potuiſſet]. Nam cum in exilio vitam miſerrimam Petrus duxerit annis decem, pœnam hanc, Liutprando a multis annis jam Rege, ſubiiſſet: quod eſt præter fidem. Quis enim ſibi perſuadeat humaniſſimum Regem pati potuiſſe, ut tamdiu in exilio ſe Rege confirmaretur is, qui non alia de cauſſa in tantam inciderat calamitatem, quam quod fuerat conſanguinitate cum ſe ipſo conjunctus?

XXI. Itaque nemo non videt Ughellianam Ticinenſium Epiſcoporum ſeriem poſt Armentarium eſſe immutandam; & Sanctum Petrum cum Mauritio, tum Anaſtaſio anteferendum. Id autem eo aſſero confidentius, quod utrique locum illum poſt Armentarium

(1) Conſule Annal. Ital. Murat. ad hunc annum.

Digitized by Google

rium Ughellius nullo dederit fundamento. De Theodoro, quem Primum Ughellius dicit, non diſputo. Ut enim infra videbimus, eum cenſeo ex hac Serie delendum. Igitur ego ſic ſtatuo, quod, cum anno 738. menſe Julio Anaſtaſius Ticinenſem jam Sedem impleret, ut paullo infra ex antiquiſſimo monumento inferemus, eo ipſo anno obierit Petrus ſuperioribus menſibus. Et cum annos tredecim eum ſediſſe referant Acta, certumque ſit ex lapide ſepulcrali mortuum fuiſſe anno ætatis ſuæ peracto quinquageſimo quarto, creatum Epiſcopum infero anno 725: natum autem anno 684. Quoniam vero, ut eadem perhibent Acta, in exilium eſt amandatus, cum adhuc eſſet *adoleſcens*, cenſeo id potuiſſe contingere anno 703. ætatis ſuæ decimo nono, Ariperti Regis tertio, ſeu potius ſecundo. Eo enim anno, ut Muratorius cenſet (1), Aripertus in Sigibrandum Anſprandi Filium, in ejuſdem Uxorem, & Filias, omneſque, quot quot erant, conſanguineos ſævviit: inter quos a Liutprando unice abſtinuit, propterea quod, cum eſſet adoleſcens, ab eo credidit ſibi timendum non eſſe; ideoque intactum ad Anſprandum Patrem remiſit in Bojos (2). Eadem de cauſſa hanc ipſam fortaſſe cum Petro exercuit humanitatem; ſatiſque ſibi conſultum putavit, ſi adoleſcentem non Filium, ſed Anſprandi ſolum conſanguineum removeret ab aula, omnibuſque fortunis orbatum exilio mulctaret. Revocari poſt duo luſtra Petrus debuit ab exilio anno 713. ætatis ſuæ vigeſimo nono Liutprandi Regis primo. Non enim Regni ſui poſuit initia Liutprandus ante Junium anni 712. quo vitam finivit Anſprandus, ut conſtat ex Anſprandi ipſius lapide ſepulcrali (3).

 Jam

(1) In Annal. Ital. ad hunc annum.
(2) Murat. ibidem.
(3) Eſt apud Murat. In Annal. Ital. ad annum 712

Jam ex his ſequitur, quot annis Ticini moratus poſtea Petrus fuerit, antequam eo Sacerdotio initiaretur; tot ſcilicet, quot recurrunt ab anno 713. ad annum 725. quo, ut dictum eſt, Armentario defuncto, eam ſedem facile implevit.

XXII. Henſchenius ſentit, Petrum miſſum fuiſſe in exilium ab Ariperto annum agentem vigeſimum quartum, vulgaris æræ 707. Ariperti vero, ut cenſet, primo; rediviſſe vero anno 717. ſive, & fortaſſe verius 718. duobus luſtris expletis. Aſſerit incertum eſſe, quot anni ab ejus reditu fluxerint, antequam Epiſcopus fieret: ceterum, quoniam obiit anno ætatis ſuæ quinquageſimo quarto, ejus vitam ultra annum Chriſti 738. prorogari ægre poſſe (1). In eo, quod quæſtionis caput eſt, nobiſcum Henſchenius ſentit, ut patet. Diverſa omnino ſequitur Chronologiæ principia; vera ne, an falſa viderint alii. Nos Paggium, Muratorium, alioſque in arte Critica & Chronologica verſatiſſimos viros ſequuti Liutprandi Regis initium ſtatuimus anno 712. Ariperti anno 701. vel 702. non 707.

XXIII. Diſſimulandum non eſt, huic Chronotaxi eas poſtremas tabulas adverſari, quæ a Manigunda confectæ ab Ughellio commemorantur in Anaſtaſio. In iis enim, ut Mabillonius refert, qui eas ſe oculis ſuis inſpexiſſe teſtatur (2), *Manigunda Dei ancilla, & veſte Monialium induta vivens lege Longobardorum, regnantibus Liutprando, & Heldeprando, anno eorum XXIII. menſe Julii Indictione V. univerſas res ſuas, quas habebat in vico & fundo Cairadæ, aut ubi in aliis locis infra ipſum regnum Italicum viſa eſſet habere, Cœnobio Cairatæ juxta flumen Olona Comitatu Sapriense Diœceſis Ticinenſis tribuit, ut ſint in potesta-*

(1) Tom. II. Maii ad diem ſeptimam, ubi de S. Petro.
(2) In ſuo Itin. Ital. pag. mihi 209. Vide eaſdem tabulas in append. Tom. II. Annal. Bened. num. XXIV.

teſtate, & Conſecratione ANNEXTASII EPISCOPI TICINENSIS, *Ejuſque ſucceſſorum conditione adjecta &c.* Hujuſmodi tabulæ, cum viventem Epiſcopum Anaſtaſium ſignificent vel anno 734. quo Liutprandus Regni annum agebat vigeſimum tertium, vel etiam anno 730. quo Indictio erat quinta, ſtatutam a nobis ætatem Petri in Cathedra Ticinenſi videntur prorſus evertere.

XXIV. Ut verum fatear, victas manus darem, ſi aut tabulæ illæ ab omni eſſent malæ fidei ſuſpicione purgatæ; aut in iis quoad ætatem erratum fuiſſe evidentiſſime non appareret. Muratorius de earum veritate graviſſime dubitat (1). Animadvertit enim tempore Regum Langobardorum nondum in more poſitum fuiſſe, ut in publicis tabulis ritus, quo quis viveret, declararetur; ſed ſolum invaluiſſe ævo ſequenti. Præterea eoſdem Regni annos tribui Liutprando, quos Hildeprando; cum tamen inter utrumque viginti trium annorum diſcrimen interceſſerit. Denique a Manigunda Cœnobium illud eorum omnium hæredem inſtitui, quæ *infra ipſum regnum Italicum viſa fuiſſet habere*: cum tamen inveniamus *Italicum regnum* frequenter quidem ſequentibus temporibus poſt occupatam a Carolo Magno Langobardiam, nunquam tamen Langobardis regnantibus commemoratum.

XXV. Quidquid tamen de iis ſit, quæ in illis tabulis continentur, id certum eſt, Chronologicos characteres a veritate longe eſſe remotos. Etenim neque Liutprandi Regis anno tertio ſupra vigeſimum Indictio erat quinta, bene vero ſecunda; neque adhuc eo anno Hildeprandus in Regni conſortium adſcitus a Patruo fuerat; id enim ante annum 736. non contigiſſe

(1) Tom. 2. Antiq. Ital. diſſ. 22.

tigiſſe idem Muratorius oſtendit (1). Ego, qui cum Mabillonio monumentum illud tanquam plane confictum condemnare non audeo (2), ſuſpicor erratum fuiſſe in ſcribenda Liutprandi Regis ætate, poſitumque annum ejus Regni vigeſimum tertium pro vigeſimo ſeptimo. Adverto enim eo anno & Indictionem fuiſſe quintam, & Hildeprandum cum Patruo in eodem ſolio ab anno ſuperiori ſedentem. Id mihi ſi detur, quod probabiliſſimum nemo negabit, tantum abeſt, ut Chronotaxi ſuperius ſtabilitæ prædictæ tabulæ refragentur, ut potius ſuffragentur. Cum enim annus Liutprandi Regis vigeſimus ſeptimus in annum cadat æræ vulgaris 738. Petri ætatem egregie confirmant. Cum ſcilicet Petrus ejus circiter anni principio, vel ſuperioris fine inter vivos probabiliter eſſe deſierit, ut obſervavimus, illi ſuffici per eadem tempora potuit Anaſtaſius.

Sanctus Petrus I. Papien. Epiſc. utrum electus fuerit Summus Pontifex.

XXVI. Antequam vero ad alia progrediar, libet ex Bollandianis totidem eorum verbis tranſcribere, quæ merito ſentiant de Petro hoc in ſummum Pontificem, ut volunt Ticinenſes, electo. Itaque ad diem ſeptimam Maii, ubi agunt de hoc Sancto Petro, ſic notant numero ſeptimo: *Addit de Gaſparis* [Auctor eſt Papienſis, qui SS. Papienſium Antiſtitum vitas edidit] *quod geſto tredecim annis Epiſcopatu, in ſummum Pontificem electus, ſed morte præreptus ſit. Quod quia alius nemo dixit, nec video, quo fundamento notetur, expungere de elogio malui, & hic notare. Neque enim poſt Gregorii II. mortem, qui anno 715. ordinatus obiit 731: neque poſt exceſſum Gregorii III. qui poſt illum decem annis ſedit, ea erant tempora, ut ex Longobardis, a quibus tunc maxime vexabantur Romani Pontifices, ſibi vellent eligere. Multo minus*

(1) In Annal. Ital. ad hunc annum.
(2) Locis laudatis.

minus apparet veriſimile, quod Romanus Clerus Epiſcopalium ſedium tranſlationes ſemper averſata [ſic] *qua licuit, ipſa ſibi exemplum ejus rei primum ſtatuere voluerit in hoc Petro, quod poſt ſeſqui ſeculum primum viſum in Formoſo antea Portuenſi Epiſcopo tantas Romæ tragœdias excitavit, quantas Pontificum hiſtoria poſt ejus mortem narrat. Porro cum conſidero, quomodo anno 914. Petrus Epiſcopus Papienſis Ottonis Imperatoris Cancellarius ad Pontificatum aſſumptus, & Johannes dictus ſit ejus nominis XIV. poſt octo in eo munere menſes in Caſtro Sancti Angeli enectus XX. Auguſti, cogor vereri, ne ſimilitudine nominis abreptus de Gaſparis adſcripſerit Petro hujus nominis Primo, quod de Tertio ejus appellationis Papienſi Epiſcopo legerat*. Sed hæc miſſa facio, & revertor ad ſeriem.

XXVII. Vacuam ex obitu Sancti Petri ſedem impletam fuiſſe a Theodoro hujus nominis Secundo anno 766. cum Boſſio cenſuit Ughellius. Quantum erraverint ſatis ex dictis puto conſtare. Ego Anaſtaſium Sancto Petro ſuffectum ex ſuprarelatis tabulis cenſeo anno circiter 738. Etſi enim de earum fide dubitare cum Muratorio quis poſſit, antiquiſſimas tamen fuiſſe nemo negabit, eoque confectas tempore conjicere poſſumus, quo ſaltem vigeret adhuc de Anaſtaſii ætate traditio. Anaſtaſio ſuppono Mauritium, qui, quoniam ab anno 730. ad annum 734. Eccleſiam hanc regere minime potuit, ut contra Ughellium, & Boſſium oſtendimus, & quoniam Anaſtaſius proxime ſequutus eſt Petrum, nullum habere poteſt locum, præter quam Anaſtaſium inter, & Theodorum, de quo dicturi mox ſumus. Quot annos in Pontificatu uterque traduxerit, incertum eſt. Ego totidem illis tribuo, quot ex traditione Ughellius, & Boſſius; Mauritio ſcilicet quatuor, tres Anaſtaſio: eoſque ita ſtatuo in hac ſerie

Sancto Petro I. ſuffectus quis fuerit in Papienſi Sede.

poſt

Digitized by Google

poſt Sanctum Petrum, ut illud compleant ſpatium, quod eſt inter annum 738. quo obiit Sanctus Petrus & 746. quo fieri Epiſcopus debuit Theodorus.

Utrum duplex ſub eodem Theodori nomine Epiſc. Papienſis, Primus, & Secundus.

XXVIII. De Theodoro quoniam dicendum hic eſt, duos ſub eodem hoc nomine Epiſcopos cum Boſſio diſtinguit Ughellius: Primum, quem ab anno 737. præfuiſſe aſſerit huic Eccleſiæ ad annum 750. nullo adducto penitus monumento: Secundum ab anno 766. ad annum 778. Fatetur tamen ingenue neminem eſſe, qui poſtremi hujus aliquando meminerit præter Boſſium, ſuſpicaturque unum eundemque eſſe cum ſuperiori, propterea quod unum Theodorum a Martyrologio Romano commemoratum inveniat die vigeſima menſis Maii. Niſi fallor, majori cum fundamento ſuſpicari debuerat Primum illum ab hoc Secundo, quam Secundum hunc ab illo Primo non eſſe diſtinctum. Etenim quo minus Primus ille aut ea ætate, aut ſuperiori huic Eccleſiæ præeſſe potuerit, prohibent ſanctus Anaſtaſius II. Sanctus Damianus, Sanctus Armentarius, Sanctus Petrus, Anaſtaſius III. Mauritius, quos ab anno 668. ad annum 745. ita ſibi ordine ſucceſſiſſe probavimus, ut nullum Theodoro Primo reliquerint locum vacuum. Contra vero, Sanctum Theodorum, quem Secundum dicunt, Epiſcopum fuiſſe Ticinenſis Eccleſiæ ſub Zacharia ſummo Pontifice; Sancto Petro, cujus alumnus fuerat, poſt aliquod ſpatium temporis ſucceſſiſſe; ad Caroli uſque Magni tempora perveniſſe certiſſimum eſt cum ex epiſtola decima octava ejus Pontificis ad eum data, tum ex ipſius Sancti Theodori carmine ſepulcrali, quod ex Grutero apud Bollandianos editum a nobis paullo poſt recitabitur. Ejuſdem opinionis eſt Muratorius, qui, cum in Chronico Monaſterii Novalicenſis legiſſet Theodorum Papienſem Epiſcopum Caroli Magni temporibus ante Papiam captam, de eo, alioque ejuſdem nomi-

nis

nis Primo ſic ſenſit. *Hunc in dubium Ughellius revocat: Sed Chronographus iſte favet, ita ut potius de Sancto Theodoro Primo, qui ſub Zacharia fuiſſe dicitur, dubitandum ſit. Certe nullis veterum monumentis alter Theodorus ab illo diverſus ſtatuitur.* (1) In eo tamen Muratorium emendatum volo, quod Theodorum ſub Zacharia fuiſſe negaverit. Epiſtola enim Zachariæ eum de aperto errore convincit. Theodorus tamen ille Secundus fuit, non is, quem Primum dicit Ughellius, ut ſupra oſtenſum eſt. Condonandum etiam eſt Muratorio quod parum eorum memor, quæ in notis hujus Chronici ſcripſerat de Theodoro Primo nullis veterum monumentis commemorato, in annalibus poſtea Theodorum illum, quem Liutprandus Rex in ſuo decreto, de quo nos ſupra, *Epiſcopum* dixit *Caſtri noſtri*, Papienſem eſſe voluerit.

XXIX. Unus igitur eſſe debuit Theodorus, quemadmodum ſuſpicatus fuit Ughellius; quamvis is non ille Primus, ſed hic plane Secundus. Quare, cum ex Boſſio idem aſſeruit Theodorum Primum obiiſſe anno 750. eidemque decedenti adfuiſſe ſummum Pontificem Zachariam, hallucinatus fuit. Iſque error ex eo etiam evidentior apparet, quod legimus quidem Zachariam anno 742. Roma Interamnam profectum fuiſſe, ut Liutprandum Regem Benevento redeuntem inviſeret, & quatuor urbes a Langobardis occupatas ab eo repeteret; & anno ſequenti Ticinum, ut Liutprandum Exarcatui imminentem cum Eutichio Exarca componeret (2). Anno vero 750. Roma diſceſſiſſe, aut ullam Ticinum ſe conferendi occaſionem habuiſſe non legi-

(1) Rer. Ital. Script. par. 2. tom. 2. in Chron. Monaſt. Noval. pag. 719.

(2) Anaſt. in Zach. & Murat. in Ann. Ital. ad annum 743. conſulantur.

legimus. Galeſinus & Spelta Leonem III. non Zachariam adfuiſſe aſſerunt Theodoro morienti. Sed non minus hallucinatos fuiſſe ea convincunt, quæ de Ubaldo dicturi mox ſumus, quæque de Auguſtino, atque Hieronymo Ughellius tradidit. Cum enim Leo ſummum Pontificatum iniverit anno 795, illi vero ante eum annum Eccleſiam hanc ſinguli poſt Theodorum adminiſtraverint, non potuit Theodorus ad ea tempora pervenire. Præterea illud etiam animadvertendum videtur, quod Theodorus ſupra quinquageſimum in Epiſcopatu annum egiſſet, ut patebit conſideranti: quod impoſſibile quidem non eſt, difficilis tamen fidei judico.

Sanctus Theodorus quando factus Epiſcopus Papien. Quanto tempore ſederit. Quando obierit.

XXX. Ceterum ad Theodorum quod pertinet, quem Ughellius Secundum, nos Primum, & unicum dicimus, de eo non parum diſſentit idem Ughellius ab ejus Actis, quæ Boſſius, & Gaſparius ex antiquis poſt emendatos, ut volunt, errores Chronologicos conflarunt, atque vulgarunt (1). Si Ughellium audimus, Sanctus hic Theodorus, ut diximus, in Ticinenſi Cathedra ſedit ab anno 766. ad annum 778. Si Actis credimus, conſecratus fuit Ticinenſis Epiſcopus a Zacharia ſummo Pontifice Liutprando Rege petente; obiitque anno 778: poſtquam ſeptem ſupra quadraginta annos huic Eccleſiæ præfuerat. Acta de errore facile convincuntur, ſi animadvertatur anno quadrageſimo ſeptimo ante annum 778. qui fuit 731. ſummum Pontificatum iniiſſe Gregorium III. non Zachariam, qui anno ſolum 741. in Petri Cathedra ſedere cœpit. Nec magis quis veram dixerit opinionem Ughellii, ſi datam animadvertat ad Theodorum Epiſtolam decimam octavam a Zacharia. Cum enim Zacharias obierit anno 751. ante eum annum Theodo-

(1) Sunt apud Bollandianos tom. 5. Maii ad diem 20. pag. 209.

dorus jam eſſe debuit Epiſcopus Ticinenſis. Ego Theodorum aſcendiſſe arbitror ad Ticinenſem cathedram anno circiter 745. Mauritio ſuffectum, eamque tenuiſſe aliquot annis poſt occupatum a Carolo Magno Langobardicum regnum. Hæc partim ex dictis conſtant; partim ex ſepulcrali Elogio deducuntur, & confirmantur. Elogium autem tale eſt:

Me Tibi præclarus Doctor nutrivit alumnum
Antiſtes Petrus Ticinenſis gloria plebis
Et Pater, & Paſtor, Patriæ decus, inclytus Auctor.
Eccleſiæ ſemper fueram vernaculus almæ,
Litterulas ex quo primævo tempore ſumpſi.
Primus eram Cleri primo Levita, deinde
Jam licet indignus, magno tamen ordine fungens.
Sed poſt ira Dei populum ſtillabat in iſtum.
Exul eram longe ductus de ceſpite Patrum;
Sed me magna Dei ſervavit gratia ſemper,
Eruit a multo venienti hinc inde periclo,
Cui laus magna fuit, virtus, & gloria ſemper:
Qui me tam miſerum dira de morte reduxit:
Et patrias iterum me fecit cernere terras,
Tempore quo Carolus Rex magnus, & optimus iſtas
Tenuit, & rexit grandi pietate benignus.
Hæc mea viventis in ſeclo fata fiebant;
Aſt nunc iſta tenet requies miſerabile corpus.
Spiritus altitroni timidus petit omnia ſecum
Judicium Regis portans, quæcumque gerebat.
Corpore conjunctus Petro. Mitiſſime Chriſte,
Tu quicumque legis, dic, dic, peccata remitte.
Atque valete mei memores poſt ſecula fratres.

Videor mihi ex hoc elogio poſſe colligere Theodorum ſuffectum quidem fuiſſe in Ticinenſi Cathedra Petro, ſed non proxime; quippe qui primo Alumnus

 ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem fuerit, & ab eo nutritus litteras ab eodem, ut videtur, didicerit; inde primus Cleri Levita evaſerit. In quo Ordine, ſicuti etiam in Diaconatu, de quo nullam mentionem facit, antequam ſummo Sacerdotio initiaretur, nemo negabit, aliquod temporis ſpatium exigere debuiſſe. Hinc cum Anaſtaſius III. poſt Petrum Eccleſiam hanc probabiliſſime rexerit, ut probavimus, & Mauritius poſt Anaſtaſium ad annum circiter 745; certumque ſit, Theodorum Epiſcopum fuiſſe ſub Zacharia Pontifice, a quo accepit epiſtolam; Zachariam vero obiiſſe anno 751, probabile quam maxime cenſeo eundem anno circiter 745. huic Eccleſiæ primo præfuiſſe. Exilio deinde mulctatum fuiſſe a Rege, ut videtur, Deſiderio, fortaſſe propterea quod Pontifici Romano faveret: revocatum poſtea a Carolo Magno jam Rege Langobardorum: tandem Eccleſiam ſuam tranquilla pace rexiſſe poſt ſuum reditum, imperante Carolo *grandi pietate*, ex ipſo elogio ſatis ſunt manifeſta. Hinc cum Ughellio, & Scriptoribus Ticinenſibus non improbabile cenſeo obire potuiſſe anno circiter 778. Caroli Langobardorum Regis quarto, & in Cathedra Ticinenſi ſediſſe annos circiter tres ſupra triginta. Anno certe 769, quo probabiliter exul jam a ſede ſua receſſerat, erat in vivis, & Romæ fortaſſe degebat. Eo enim anno unus omnium Langobardorum Epiſcoporum interfuit Concilio Lateranenſi ſub Stephano III, ut ex Actis ejuſdem Concilii per Cajetanum Cennium Virum Cl. proditis, qui & ipſe retrahendæ ætatis Petri neceſſitatem jampridem cognovit contra Ughellium, & Boſſium; ſuamque opinionem de unico Theodoro non obſcure ſignificavit. (1)

XXXI.

(1) Conſule Concilium Lateran. ſub Stephano III. ab ipſo editum, & illuſtratum cap. IV. num. X. ubi de Theod. Ep. Pap.

XXXI. Sanctum Theodorum ſequuti eſſe traduntur Auguſtinus, Sanctus Hieronymus, Ubaldus, aliique, de quibus fides ſit apud tabulas, & Hiſtoricos Ticinenſes. Ubaldus ab Ughellio Abbas fuiſſe dicitur in Monaſterio Augienſi apud Conſtantiam, deductuſque inde ad Cathedram Ticinenſem anno 791. Mabillonius, qui omnes Monaſterii ejus Abbates ſibi ordine ſuccedentes enumerat ſeculo octavo, eo anno 791. Waldonem memorat, qui Rutperto Abbati in eo Sacerdotio ſucceſſerat (1). Waldonem tamen hunc eum ipſum eſſe, quem Ughellius Ubaldum denominat, nullus dubito. Nihil enim veroſimilius, quam quod paullulum inflexa voce ab Italis dictus *Ubaldus* fuerit, qui a Gallis, atque Germanis *Waldus* dicebatur, & *Waldo*. De hujuſmodi enim inflexis vocibus exempla frequentiſſima occurrunt, ut erudito cuilibet ignotum eſſe non poteſt. Ubaldum tamen hunc, ſive Waldonem lego quidem Eccleſiam Papienſem adminiſtraſſe; Epiſcopum vero eidem præfuiſſe, non lego. Etenim ex Augienſi Anonymo monacho, qui, ut videtur, vivebat initio ſeculi decimi, habemus Waldonem hunc Abbatem Augienſem Carolo Regi in paucis fuiſſe chariſſimum, & ab ipſo adminiſtrandos accepiſſe Præſulatus Baſileenſem, & Papienſem, vita functis earum urbium Epiſcopis. Sed neutri Eccleſiæ Epiſcopum præfectum fuiſſe Anonymus ipſe declarat narrans, *eum de Præſulatu Urbis Papiæ & Epiſcopatu Baſileenſis Civitatis ſuæ voluntatis effectum ab Imperatore* (ſic eum vocat, quia Imperator poſtea fuit) *conſequutum fuiſſe: atque impetraſſe ab eo, quatenus ſuum utrique loco Pontificem conſtitueret* (1). Quod adeo verum eſt, ut Augienſi eo Sacerdotio dimiſſo anno

Ubaldus utrum fuerit Epiſcopus Papienſis.

 806.

(1) Ex præf. ad libel. de Sanguine Chriſti Augiæ aſſervato, quæ eſt apud Mabil. in Append. tom. III. Annal. num. XLVI.

805. Fradulpho Abbati in Pariſienſi Dionyſiano ſucceſſerit. Quo ad annum uſque 814. adminiſtrato, vivere deſiit (1). Hæc vera ſi ſunt, Ubaldus, ſive Waldo ab hac ſerie delendus; eique ſupponendus probabiliter Irenæus, quem Spelta Hieronymo ſuffectum affirmat, & quadriennio huic Eccleſiæ præfuiſſe, Hadriano ſummo Pontifice. Tempora plane reſpondent. Etenim vita functo Hieronymo anno, ut creditur, 787 eam regere debuit adminiſtratoris titulo Abbas Augienſis Ubaldus, ſeu Waldo ad annum circiter 791, ut ſupra innuimus; & Waldone ad ſuos Monachos Augiam redeunte, præfici facile potuit Irenæus, eamque ſedem implere ad annum uſque 795, quo Petrus hujus nominis II. ab Ughellio eandem dicitur aſcendiſſe.

Guido, qui dicitur primus, utrum fuerit Papienſis Epiſc.

XXXII. Numero in ſua ſerie 49. Guidonem Epiſcopum Ughellius numerat, eumque medium conſtituit inter Joannem II. & III. ex diplomate Caroli Craſſi Imperatoris conceſſo Monaſterio Sancti Ambroſii 12. *Kal. Apriles anno D. Incarn.* 880. *Indictione decima tertia anno regni Caroli in Francia IV. in Italia I. Actum Papiæ*, cujus exemplar ex Autographo inter monumenta Ambroſiani Cœnobii retulit Puricellus. In hoc diplomate plures, eaſque graves Muratorius invenit notas, quæ confictum eſſe ſignificant. Ejus opinioni eo libentius adhæreo, quod advertam a nullo Ticinenſi Scriptore factam fuiſſe de Epiſcopo hoc Guidone mentionem: & eodem anno 880. adhuc viventem inveniam Joannem, quem Ughellius anno ſuperiore vita functum aſſeruit. Inter ceteros enim Judices eo anno conſtitutos a Carolo Craſſo ad ferendam ſententiam in controverſia quadam inter Monaſterium Ambroſianum Mediolanenſe,

&

(1) Conſule Mabil. tom. II. Annal. ad an. 806. num. XLVII. & ad an. 814. num. XVI.

& Augienſe fuit etiam Joannes Papienſis Epiſcopus, ut ex monumento ab eodem Muratorio relato (1). Utrum autem, Guidone exploſo, unicus Joannes fuerit, qui ab anno 874. huic Eccleſiæ jus dixerit ad annum 924, an vero duplex, definire non audeo. Diuturnitas temporis duplicem fuiſſe perſuadet; præcipue cum Joannes hujus nominis Tertius, qui Guidoni ſuffectus dicitur ab Ughellio, non obierit ex ſenectute, ſed caſu anno 924. ad plures alios adminiſtraturus Eccleſiam hanc, niſi eum repentina calamitas oppreſſiſſet. Ughellius deceſſiſſe eum affirmat ex animi mœrore propter captam ab Hungaris, incenſamque Papiam; Muratorius ex Frodoardo refert, igne fumoque necatum cum Epiſcopo Vercellenſi, dum civitas combureretur (2): cui fidem cenſeo adhibendam, non ſolum quia Frodoardus ea vivebat ætate; ſed etiam quia Liutprandus, cujus unius teſtimonio Ughellius innititur, obiiſſe quidem Joannem narrat in ea urbis calamitate, nullibi tamen, quod ſciam, dicit eum ex animi mœrore vitam finiviſſe.

Joannes II. & III. fuerint ne inter ſe diverſi.

XXXIII. Joannem hunc ſequutus eſt Leo, de quo nullum Ughellius protulit documentum. De eo mentionem facit Liutprandus; narratque ſuam Hugoni Italiæ Regi operam præſtitiſſe, ut de Gualberto, & Everardo contra ipſum nova molientibus callido conſilio pœnas debitas ſumeret (3). Quo anno id contigerit, Liutprandus tacet. Muratorius ad annum narrat 930, quod arbitror valde probabile Hugonis Regis geſta conſiderans. Itaque ſuſpicatus ſum Leonem hunc ad eum annum, & fortaſſe ſequentem, vitam producere potuiſſe: præcipue cum Innocentii, qui Leoni ſuffectus dicitur anno 929, nullus ſit præter Boſſium, qui

(1) Diſ. LXX. Antiq. Ital.
(2) In Ann. Ital. ad annum 924.
(3) Hiſt. lib. 3. cap. 10.

qui, teſte Ughellio, etiam obſcure meminerit, & ad annum 932. Sigefredum jam ſedentem inveniam in eo diplomate, quo Reges Hugo, atque Lotharius privilegia Monaſterii Sanctæ Mariæ Theodotæ Ticinenſis confirmarunt (1).

Litefredus, ſive Sigefredus II. utrum a Primo diverſus: quando obierit.

XXXIV. Innocentius igitur, qui, ſi Eccleſiæ hujus antiſtes fuit, quod non cenſeo, ad breviſſimum tempus fuit, ſucceſſorem habuit Litefredum, qui & Luitfredus, & Liutifredus & Sigefredus. Hunc Ughellius maxime ſuſpicatur unum eundemque fuiſſe cum Sancto Luitfredo, ſive Sigefredo, vel Gothifredo ſuperiore, qui huic Eccleſiæ præerat anno 864, cujus Joannes VIII. P. M. in epiſtola centeſima quadrageſima nona ad Joannem hujus nominis II. data Indictione II. anno 878. meminit (2). In ſua tamen ſuſpicione non videtur Ughellius ſatis ſibi conſtare, dum refert Liutifredum hunc interfuiſſe anno 952. comitiis Auguſtalibus ſub Ottone Primo Imperatore. [verius Germaniæ Rege dixiſſet, cum Imperator Otto non fuerit ante annum 962.] Unde id de Liutifredo Ughellius acceperit, neſcio. Ceterum habita eo anno Auguſtæ comitia ſub Ottone Rege Scriptores referunt. Interfuiſſe etiam dicitur hic Liutifredus Synodo Mediolanenſi anno 945, ſed Synodum hanc nullibi invenio. Invenio apud Ughellium Concilium Mediolanenſe anno 966. ſub Benedicto, ut inquit, VI. Sed Synodus hæc ab eruditis rejicitur, & in eo *Luttifredum* Auguſtanum lego, non Papienſem (3). Attamen præter hæc alia non deſunt, quæ Liutifredum hunc ab eo ſuperiore diverſum hac ætate confirment. Muratorius

(1) Antiq. Ital. tom. II. diſſert. 19.
(2) Eſt apud Labb. tom. XI. Concil. pag. mihi 99.
(3) Conſule Ughell. Ital. Sacr. tom. 4. in Epiſc. Aſten. num. 19. -- Vide Labb. Tom. XI. Concil. pag. mihi 941. ad annum 989.

rius ex Tabulario Ticinenſis Eccleſiæ diploma Hugonis, atque Lotharii Regum magna ex parte corroſum extraxit datum ad Liutifredum Epiſcopum Ticinenſem anno, ut videtur, 943, in quo illi Eccleſiæ confirmant *omnes Capellas Cardinales tam extra, quam intra urbem poſitas* (1): quod ſatis eſt, ut hunc ab illo ſuperiore diſtinctum abſque ullo dubio ſtatuamus. Liutifredum hunc ipſum inter vivos eſſe deſiiſſe anno 966. ex Boſſio ſcripſit Ughellius. Eum tamen adhuc viventem anno 967. oſtendit documentum a Mabillonio relatum (2). Hinc Petrus dictus *Canepanova*, qui poſtea ſummus Pontifex creatus fuit, non potuit Liutifredo in Ticinenſi Cathedra ſuffici anno 966, ſicuti affirmavit idem Ughellius, ſed tempore ſequenti.

Raynaldus, qui dicitur Primus, utrum Epiſcopus Papiens.

XXXV. Numero in Ughelliana ſerie 54. addendum Coletus monet Raynaldum hujus nominis Primum (3) ex Ottonis Imperatoris diplomate anno dato 977, quod & apud Ughellium legitur in Bobienſibus, & apud Muratorium in Antiquitatibus Eſtenſibus (4), & præterea a Campio commemoratur (5). Coleto aſſentiri non poſſum. Petrum enim, qui anno 984 ex Epiſcopo Ticinenſi Romanam evaſit ad ſedem, eam Cathedram anno 977. a ſuperiori tempore tenuiſſe ex pluribus monumentis certum cenſeo. Fuit enim Epiſcopus hic iis temporibus magni nominis, & magnæ apud Imperatores auctoritatis. Inter cetera celeberrima eſt Gerberti Abbatis Bobienſis Epiſtola quinta ad ipſum data anno circiter 972, in qua de eo multis conqueritur, quod non pauca Sacerdotii ſui

bona

(1) Antiq. Ital. tom. V. diſſert. 71.
(2) Tom. III. Ann. Bened. lib. XLVI. num. XLIX. & apud Murat. in antiquit. Eſten. tom. 1. pag. 146.
(3) Tom. X. Ital. Sacræ in addendis ad Papien.
(4) In antiq. Eſten. tom. 1. pag. 196.
(5) In Hiſt. Placent. tom. 1. pag. 275.

Digitized by Google

bona uſurpaverit (1). Qui igitur fieri potuit, ut anno 977. hanc ipſam Eccleſiam Raynaldus regeret? Satis, ut puto, patet ex his quid de eo diplomate ſentiendum ſit. Sequentibus ſeculis fuiſſe confictum Muratorius ipſe & fatetur, & probat (2). Animadvertit primo eruditiſſimus vir in eo diplomate ab Ottone Imperatore Petro Abbati dominium tradi Bobienſis Comitatus *per annulum aureum*, qui ritus iis nondum temporibus invaluerat; ſecundo, Aprili menſe ejus anni pro decimo annum undecimum enunciari ejuſdem imperii. Quod cum obſervaſſet Ughellius, ætatis illius notam cenſuit prætermittendam, addiditque de ſuo. *Datum Noviomaga in Palatio Imperatoris*; tertio, exprimi dati diplomatis teſtes Archiepiſcopum Moguntinum, Rinaldum Ticinenſem, & Joannem Placentinum Epiſcopos, alioſque Aulæ primarios, cum tamen conſuetudo teſtes nobiliſſimos adhibendi multo ſerius obtinuerit; quarto, Placentinam Eccleſiam a Giſulpho, non a Joanne eo anno adminiſtratam fuiſſe, ipſomet Campio aſſentiri coacto, qui ad ſeriem Placentinorum Epiſcoporum cum eo diplomate componendam duriter ſe, aſpereque contorquet (3). Itaque Liutifredus Petrum, non Raynaldum excepit: quem ſequutus eſt Guido Curtius ab anno 984. ad annum 1008, ut ex Ughellio. Eum enim adhuc in vivis fuiſſe anno 1007. ſignificat monumentum a Muratorio commemoratum (4). Guidonem Ubertus, Ubertum Petrus hujus nominis Quartus ante Raynaldum excepit, de quo Coletus ex Benedicti VIII. diplo-

(1) Conſule Mabil. Tom. III. Ann. Bened. lib. XLVI. num. LXXXVII.
(2) In annal. Ital. ad annum 977.
(3) Hiſt. Plac. tom. 1. Conſule Murat. loco laud.
(4) Tom. II. Antiq. Ital. diſſ. 22.

Digitized by Google

plomate (1).

XXXVI. Numero in ſua ſerie 60. *Henricum*, quem vocat *Aſtarium*, recenſet Ughellius ab anno 1057. ad annum 1060. Eique *Aldaricum* ſufficit, ſive *Uldaricum*, de quo fatetur ſe graviſſime dubitaviſſe, unus ne idemque cum ſuperiore eſſet Henrico: præcipue cum nulla de hoc Uldarico apud Ticinenſes Hiſtoricos mentionem invenerit, & quod magis eſt, apud eoſdem legerit, ab Henrico vitam ad annum uſque 1072. fuiſſe productam. In eam demum ſe opinionem adductum duos fuiſſe, propterea quod in monumento Lucenſi anni 1062. apud Franciſcum Mariam Florentinium inter alios Epiſcopos *Aldaricum Papienſem* Epiſcopum teſtem animadverterit. Ego ex hoc ipſo monumento unum, eundemque fuiſſe Epiſcopum colligo. Animadverto enim eum ipſum, quem *Henricum* denominat anno 1060, in Romano Concilio ſub Nicolao Secundo anno ſuperiore 1059. apud Mabillonium ex MS. romano codice, quem Autographum cenſet, dici *Odelricum Papienſem* (2). Non video, cur Henricus denominari potuerit *Odelricus* unus, & idem: non potuerit autem denominari *Aldericus* aut *Uldaricus*, niſi diverſus fuerit. Niſi quatuor Epiſcopis breviſſimo, & eodem fortaſſe tempore locum in hac ſerie dare velimus, Henrico, Uldarico, Odelrico, Alderico, valeat Ticinenſium Scriptorum auctoritas, unum eundemque fuiſſe, qui Eccleſiam hanc ab anno 1057. ad annum 1072. adminiſtraverit, nomine paullum inflexo, quod in hujuſmodi Germanis vocabulis novum non eſſe, erudito novum eſſe non poteſt.

Aldaricus utrum abHenrico Superiore diverſus.

F XXXVII.

(1) Tom. x. Ital. Sac. in adde. d. ad Papien.
(2) Tom. IV. Annal. Ben. lib. LXI. n. XXX., & in append. n. LXXVII., ubi Metropolitanus vocatur, & Archiepiſcopus.

XXXVII. Guidonem hujus nominis Tertium ab anno 1103. ad annum 1119. Sedem hanc impleviſſe in omnibus editionibus legimus apud Ughellium numero in ejus ſerie ſexageſimo tertio. Peccare Typographus ſemper debuit, & annum ponere 1119. pro 1109. Anno enim 1110. collocatum in ea Cathedra Bernardum Lunatum Ughellius ipſe non negat.

Syrus, ſive Yſirus utrum Epiſcopus Papienſis.

XXXVIII. Numero in Ughelliana ſerie ſeptuageſimo primo poſt Petrum Toſcanum addendum arbitror *Syrum*, ſive potius *Yſirum*, quem Sigonius cum Boſſio cenſet huic Eccleſiæ præfuiſſe poſt annum 1160. (1). Hunc Ughellius excluſit ex eo potiſſimum fundamento, quod Petrus Toſcanus ſedem hanc impleviſſe dicatur ab anno 1148. ad annum 1178; arbitraturque fieri non potuiſſe, ut Friderico Ænobarbo addictiſſima civitas excipere voluerit Syrum, qui Alexandri Tertii partes pro viribus tuebatur (2). Cum vero ab eodem Ughellio intelligam, Petrum, quod repudiato Alexandro Victorem Pſeudo pontificem veneraretur, uſu Pallii ceteriſque privilegiis orbatum fuiſſe, percuſſumque horrendo anathemate in Claramontenſi Concilio, facile in Sigonii ſententiam deſcendo; cenſeoque Syrum in locum Petri ab Alexandro ſuffectum more in ſimilibus caſibus uſitato. Neque a mea opinione removeor, quod Friderico cum Alexandro Pontifice reconciliato Petrus reſtitutus fuerit priſtinæ dignitati; & quod ſub ipſis etiam anathematis vinculis Epiſcopalia munia ſemper obiverit. Nam ad primum quod pertinet, cum Fridericus Alexandro ſe non ſubdiderit ante annum 1177, ut notum eſt, jam Syrus a multis annis obierat (3); ideoque impe-

(1) Conſule Ughellium ad Petrum Toſcanum in ſua hac ſerie num. 68.

(2) Conſule Ann. Ital. Muratorii ad ea tempora.

(3) Ex Boſſio Syrus obiit anno 1166. Ughel. loco laud.

impedimento eſſe non poterat Petro, quo minus priſtinæ ſedi reſtitueretur. Ad ſecundum vero quod ſpectat, potuit eſſe Papienſis Epiſcopus Syrus, etiamſi Papiæ ex temporum iniquitate reſidere non poſſet; quod alias, & ſæpe contigiſſe nemo negabit. Ceterum Papienſem Epiſcopum fuiſſe Syrum teſtimonium habemus apud Muratorium ex ipſomet Friderico. In eo enim diplomate, quo Ardicium Gebennenſem Epiſcopum contra Bertholdum Ducem de Zaringen, & Amædeum Comitem Gebennenſem Regalia, & poſſeſſiones illius Eccleſiæ occupantes tuetur, eique omnia reſtituenda decernit anno 1162. *in Archiepiſcopatu Biſuntino apud Pontem Laone ſuper Senam ſeptimo Idus Septembris* inter alios bene multos Epiſcopos, & Imperii Principes teſtes etiam *Yſirum Ticinenſem* recenſet *Epiſcopum* (1). Neque improbabile videri cui debet in Comitatu Friderici fuiſſe, vel ab eo dictum Epiſcopum Ticinenſem Yſirum, qui quantum Alexandro Tertio addictus, tantum Friderico erat infenſus. Etenim eo anno Fridericum poſt dirutum Mediolanum, & in fidem acceptas Brixiam, atque Placentiam in Burgundiam profectum fuiſſe, ut adhibita Ludovici Francorum Regis auctoritate res ſuas cum Alexandro in Galliis tunc commorante componeret; habitoſque multos de ea re apud *Sanctum Joannem de Laone* inutili labore tractatus, teſtantur qui ea ætate ſcripſerunt (2). Nihil igitur probabilius, quam quod in eo tunc oppido Alexandri nomine una cum aliis etiam eſſet Yſirus, ut cum Friderico ageret, & quæ ab eo ad concordiam proponebantur, audiret, illique fideliter repræſentaret.

(1) Tom. VI. Antiquit. medii ævi diſſ. 71. pag. 57.
(2) Ex Murat. in An. Ital. ad annum 1162.

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series.

1 S. Syrus
2 S. Pompejus I.
3 S. Juventius I.
4 S. Profuturus
5 S. Obedianus
6 Leontius
7 S. Urſicinus
8 S. Criſpinus I.
9 S. Felix
10 S. Maximus I.
11 S. Epiphanius I.
12 S. Criſpinus II.
13 S. Dalmatius
14 S. Anaſtaſius I.
15 Thomas
16 Albachius
17 S. Hilarius
18 S. Juventius II.
19 Tibaldus
20 Marcellinus

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series emendata.

1 S. Syrus (1)
2 S. Pompejus I.
3. S. Juventius I. (2)
4 S. Profuturus
5 S. Obedianus
6 S. Leontius
7 S. Urſicinus
8 S. Criſpinus I. (3)
9 S. Felix
10 S. Maximus I. (4)
11 S. Epiphanius I. (5)
12 S. Criſpinus II. (6)
13 S. Dalmatius (7)
14 S. Anaſtaſius I.
15 Thomas
16 Albachius
17 S. Hilarius
18 S. Juventius, ſive Eventius II. (8)
19 Tibaldus (9)
20 Marcellinus

21 S.

(1) De eo vide ſupra n. XIV.
(2) De eo vide ſupra n. XIV.
(3) De eo vide ſupra n. X.
(4) De eo vide ſupra n. XII.
(5) De eo vide ſupra n. XIII.
(6) De eo vide ſupra n. XI.
(7) De eo vide ſupra n. XI.
(8) De eo vide ſupra n. XIV.
(9) De eo vide ſupra n. XIV.

Digitized by Google

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series.

21 S. Criſpinus III.
22 S. Epiphanius II.
23 S. Maximus II.
24 S. Ennodius
25 Paulus
26 Pompejus II.
27 Severus
28 Bonifacius
29 Laurentius
30 Magnus
31 S. Anaſtaſius II.
32 S. Damianus
33 S. Armentarius
34 Mauritius
35 Anaſtaſius III.
36 Theodorus I. (1)
37 S. Petrus I.
38 S. Theodorus II.
39 Auguſtinus
40 S. Hieronymus

(1) Vide de eo ſupr. n. XXVIII.

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series emendata:

21 S. Criſpinus III. (1)
22 S. Epiphanius II. (2)
23 S. Maximus II. (3)
24 S. Ennodius (4)
25 Paulus
26 Pompejus II.
27 Severus
28 Bonifacius
29 Laurentius
30 Magnus
31 S. Anaſtaſius II.
32 S. Damianus (5)
33 S. Armentarius (6)
34 S. Petrus I. (7)
35 Anaſtaſius III. (8)
36 Mauritius (9)
37 S. Theodorus (10)
38 Auguſtinus
39 S. Hieronymus
40 Irenæus (11)

41 Pe-

(1) De eo vid. ſupr. n. X. & ſeq.
(2) De eo vide ſupra n. XV.
(3) De eo vide ſupra n. XV.
(4) De eo vide ſupra n. VIII.
(5) De eo vide ſupra n. XVI.
(6) De eo vid. ſup. n. XVII. & ſeq.
(7) De eo vid. ſupr. n. XIX. & ſeq.
(8) De eo vid. ſup. n. XIX. & ſeq.
(9) De eo vid. ſup. n. XIX. & ſeq.
(10) De eo v. ſup. n. XXVIII & ſeq.
(11) De eo vide ſupra n. XXXI.

Digitized by Google

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series.

41 Ubaldus (1)
42 Petrus II.
43 S. Joannes I.
44 Sebaſtianus
45 Deodatus
46 Luitardus
47 S. Luitfredus
48 Joannes II.
49 Guido I. (2)
50 Joannes III.
51 Leo
52 Innocentius (3)
53 Luitfredus, ſive Litefredus II.
54 Petrus III. *Raynaldus* (4)
55 Guido II. Curtius

(1) Vide de eo ſupra n.XXXI.
(2) Vide de eo ſupra n.XXXII.
(3) Vide de eo ſupr.n.XXXIII.
(4) Vide de eo ſupra n. XXXV.

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series emendata.

41 Petrus II.
42 S. Joannes I.
43 Sebaſtianus
44 Deodatus
45 Luitardus, qui & Luitprandus
46 S. Luitfredus, qui & Sigefredus, & Gotifredus I. (1)
47 Joannes II. (2)
48 Joannes III. (3)
49 Leo (4)
50 Litefredus, qui & Sigefredus II. (5)
51 Petrus III. Canepanova (6)
52 Guido I. Curtius (7)
53 Ubertus
54 Petrus IV. (8)
55 Raynaldus I.

56 Fu-

(1) De eo vid. ſupr. n.XXXIV.
(2) De eo vid.ſupra n.XXXII.
(3) De eo vid. ſupra n. XXXII.
(4) De eo vid.ſupra n.XXXIII.
(5) De eo vid.ſupra n.XXXIV.
(6) De eo vid.ſupra n.XXXIV.
(7) De eo vid.ſupra n. XXXV.
(8) De eo vide Coletum in addendis ad Papienſ. tom.X.Ital.Sac.

Digitized by Google

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series.

55 Ubertus Sacchettus
57 Raynaldus I.
58 Euſebius (1)
59 Guido III.
60 Raynaldus II.
61 Henricus
62 Aldaricus, ſive Uldaricus
63 Guillelmus I.
64 Guido III.
65 Bernardus Lunatus
66 Petrus IV.
67 Alphonſus Confalonerius
68 Conradus I.
69 Petrus V. Toſcanus
70 S. Lanfrancus
71 S. Bernardus Balbus
72 Rodobaldus I. Sangregorius
73 Gregorius Creſcentius
74 S. Fulco
75 Rodobaldus II. Cipolla

(1) Vide de eo Coletum in ſerie Ughel. n. LVIII.

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series emendata.

56 Euſebius
57 Guido II.
58 Raynaldus II.
59 Henricus, qui & Odelricus, & Aldaricus, & Uldaricus (1)
60 Guillelmus I.
61 Guido III. (2)
62 Bernardus Lunatus
63 Petrus V.
64 Alphonſus
65 Conradus
66 Petrus VI. Toſcanus (3)
67 Syrus, ſive Yſirus (4)
68 S. Lanfrancus
69 S. Bernardus Balbus
70 Rodobaldus I. Sangregorius
71 Gregorius Creſcentius
72 S. Fulco
73 Rodobaldus II. Cipolla
74 Gulielmus Canetus
75 Guido IV. Taccius
76 Otho

(1) De eo vid. ſupra n. XXXVII.
(2) De eo vid. ſupra n. XXXVII.
(3) De eo vid. ſupr. n. XXXVIII.
(4) De eo vid. ſupr. n. XXXVIII.

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series.

76 Guillelmus II. Canetus.

77 Guido IV. Taccius

78 Otho Beccaria

79 Guido V. Langaſchius

80 F. Iſnardus Tacconius O.P.

81 Joannes Beccaria

82 Carantes Sannazarius

83 Joannes Fulgoſius

84 Matthæus Riboldius

85 Petrus Spelta

86 Alcherius de Alcheriis

87 Franciſcus Subripa

88 F. Guillelmus Centuarius O.M.

89 Petrus Graſſius

90 Franciſcus Piccolpaſſus

91 Henricus Rampinus

92 Bernardus Candianus

93 Jacobus Borromæus

94 Jo. Card. Caſtillioneus

95 Jacobus Card. Ammannatus

96 Aſcanius M. Card. Sfortia

97 Franciſcus Card. Alidoſius

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series emendata.

76 Otho Beccaria

77 Guido V. Langaſchius

78 F. Iſnardus

79 Joannes Beccaria

80 Carantes Sannazarius

81 Joannes Fulgoſius

82 Matthæus de Riboldis

83 Petrus Spelta

84 Alcherius de Alcheriis

85 Franciſcus Subripa

86 F. Guillelmus Centuarius O. M.

87 Petrus Graſſius

88 Franciſcus Piccolpaſſus

89 Henricus Rampinus

90 Bernardus Candianus

91 Jacobus Borromæus

92 Jo. Card. Caſtillioneus

93 Jacobus Card. Ammanatus

94 Aſcanius Maria Card. Sfortia

95 Franciſcus Card. Alidoſius

96 Antonius Maria Card. de Monte

97 Jo. Maria Card. de Monte

98 Jo.

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series.

98 Antonius M. Card. de Monte
99 Jo. Maria Card. de Monte
100 Jo. Hieronymus Rubeus
101 Hippolytus Card. Rubeus
102 B. Alexander Saulius
103 F. Franciſc. Gonzaga O.M.
104 Guillelmus Baſtonus
105 Jo. Baptiſta Bilius
106 Fabritius Landrianus
107 Jo. Baptiſta Sfondratus
108 Franciſcus Bilius
109 Hieronymus Meltius
110 Laurentius Trotti
111 Jacobus Ant. Card. Morigia

UGHELLIANA

Epiſcoporum Papienſium Series emendata.

98 Jo. Hieronymus Rubeus
99 Hippolytus Card. Rubeus
100 B. Alexander Saulius
101 F. Franciſc. Gonzaga O.M.
102 Guillelmus Baſtonus
103 Jo. Baptiſta Bilius
104 Fabritius Landrianus
105 Jo. Baptiſta Sfondratus
106 Franciſcus Bilius
107 Hieronymus Meltius
108 Laurentius Trotti
109 Jacobus Ant. Card. Morigia
110 Auguſtinus Cuſanus Patria Mediolanenſis, genere & parentibus clarus ob ſingulares ingenii, & animi dotes Archiepiſcopatu Amaſeno primum ornatus fuit; inde Pontificia legatione perfunctus apud Rempublicam Venetam, atque Galliarum Regem. Ubique prudentiæ, & integritatis laudem aſſequutus cum eſſet, regendam Eccleſiam Papienſem accepit pridie Idus Octobris anno 1711, & anno proximo ob præclara in Chriſtianam Rempublicam merita a Clemente XI. P. M. inter purpuratos Patres adſcriptus; nec multo poſt auctus Bononienſi Legatione. Ea obita magna cum laude, & populorum utilitate Papiam reverſus ad Sponſam ſingulas ſui muneris partes explevit ſingulari prudentia, induſtria, chari-

G

Digitized by Google

ritate ad annum uſque 1724. Eo enim, cum valetudine eſſet non admodum firma, de Magiſtratu abiens ſeceſſit in Patriam: ubi anno 1731. deſiderium reliquit ſui vita cum morte mutata. Elatus eſt in Sacrarum Virginum, quæ dicuntur Capuccinæ, ubi ejus monumento adjectum eſt hoc Epitaphium

Auguſtino Cuſano
S. R. E. Cardinali
Archiepiſcopo Amaſeno, Epiſcopo Ticinenſi
Pontificiis Legationibus
Veneta, Pariſienſi, Bononienſi
Difficillimis temporibus feliciſſime obitis
Religionis Vindici, Egenorum Patri
Magnanimo, Forti, Munifico
Ex geminis Fratribus Filii amantiſſimi
Optimo Patruo monumentum P. P.
Obiit a partu Virginis anno MDCCXXXI.
Ætatis ſuæ LXXV.

111 Franciſcus Pertuſatus Alexandrinus præclaris natus initiis a teneris annis Familiæ Olivetanæ nomen dedit. Cum in ea pietate, doctrina, prudentia maxime excelluiſſet, & illuſtriora ſui Ordinis munera ita tractaſſet, ut omnibus ſatisfaceret, Ticinenſem meruit Pontificatum tertio Idus Septembris anni 1724. Sodales, qui adorando Sanctiſſimo Chriſti Corpori ex peculiari religione ſe addicerent, Ticini, aliiſque ſuæ Diœceſis Oppidis ſtatuit, & fovit. Scholam, ubi pauperes in divinis Fidei noſtræ myſteriis erudirentur, aperuit. Seminarii ædes ad elegantiam compoſuit. Cathedrale Templum egregia ſupellectile locupletavit. Epiſcopales ædes ornavit. In Oppido *Portus Alberæ* Caſtrum amplificavit, & prope *Stratellam* ſuperiorem arcem fere jam dirutam inſtaurandam, atque amplificandam curavit.
Cu-

Digitized by Google

Cujus præclare facti hæc ibi extat inſcriptio. *Arcem hanc pene labentem reſtituit, auxit, ornavit D. Franciſcus Pertuſati Epiſcopus Papienſis anno* 1740. Tenet hæc loca a multis ſeculis Ticinenſis Epiſcopus: quemadmodum & oppidum S.Cypriani, Pancaranæ, Rozzaſchi, Cecinæ, S.Pontii, Baſtidæ, & Caſtorati cum aliis, in quibus imperium, & utramque juriſdictionem exercet, quam ab Hugone, & Lothario Regibus anno 943. ab Imperatoribus Ottone, & Henrico annis 977. & 1014. traditam ſibi oſtendit diplomatibus etiamnum aſſervatis, ab aliis deinde Principibus confirmatam, multiſque Pontificum, & Regum decretis, judiciiſque ſuffultam. Antiſtitis hujus opera, diligentia, conſilio uſus eſt in graviſſima re Benedictus XIII. P. M. Jam pridem a pluribus ſeculis acta fuerat, fervebatque quam maxime per ea tempora quæſtio de Corpore Sancti Auguſtini Eccleſiæ Doctoris. Conſtabat quidem, in *Confeſſione*, ut vocant, Baſilicæ Sancti Petri in Cælo aureo Papiæ ipſum aſſervari; & traditione multis monumentis, documentiſque corroborata oſtendebatur arca marmorea, in qua requieſcere credebatur. Sed dubitantibus multis, multis etiam negantibus, debito cultu carebat. Suam Franciſcus juſſus proferre ſententiam, nihil reliqui fecit, quod ad rem tanti momenti ſeverius explorandam fieri oportere ſcrupuloſiores exiſtimarent. Omnibus tandem, ut decebat, inſpectis, libratis, animadverſis, judicium tulit, ea eſſe Sancti Auguſtini, non alterius hominis oſſa, quibus idcirco religioſus cultus a Chriſtiano populo deberetur. Sententiam hanc probavit ſummus Pontifex Benedictus. Quo circa redeuntibus anno 1729. Sancti ejuſdem Auguſtini ſolemnibus poſt factam ritu publico ſacram rem in Templo ejuſdem Sancti in Urbe, de invento ejuſdem Corpore Deo gratias egit, agique juſſit, cantato ex ejus juſſu Hymno Ambroſiano, ut ex Apoſtolicis Litteris conſtat, quas hac de re eodem anno vulgari mandavit. Ante hæc Romano Concilio habito anno 1725. adfuerat Franciſcus; eaque occaſione egregiam quamvis parum felicem Eccleſiæ ſuæ navaverat operam. Nam cum Romanis Patribus decretum eſſet eas omnes Epiſco-

Digitized by Google

pales Eccleſias, quæ extra Romanam Provinciam poſitæ uni hactenus Pontifici Romano paruerant, adigendas eſſe, ut Metropolitam eligerent, in cujus Provincia continerentur, Franciſcus, ne id fieret de Eccleſia ſua, magno obſtitit animo oſtendens Papienſem Eccleſiam proxime unius Romani Pontificis auctoritati ita ſubeſſe, & tot tantiſque privilegiis eſſe ſuffultam, ut ad eligendum Metropolitam compelli aut non poſſet, aut non deberet. Cum vero Romanos Patres flectere nequiviſſet, ſtante inter ceteros contra Benedicto XIII. P. M., eo quo potuit modo juribus Eccleſiæ ſuæ conſuluit. Etenim cum Patres Romani ab ea lege eos etiam Archiepiſcopos ſolutos eſſe voluiſſent, quibus nullus ſubjiceretur Epiſcopus, Franciſcus a Benedicto XIV. P. M. obtinuit, ut & ipſe, & qui in Papienſi ſede ſibi ſuccederent, Archiepiſcopalem ſimul cum Epiſcopali dignitate conjungerent. Quare ſummus is Pontifex ampliſſimis datis Litteris, quibus ſingularia ornamenta, immunitateſque Papienſis Eccleſiæ complectitur, Archiepiſcopalem Eccleſiam Amaſiæ, quæ eſt inter Infideles, unitam perpetuo ſic voluit Eccleſiæ Papienſi, ut qui Papienſis ſemper impoſterum eſſet Epiſcopus, foret etiam Archiepiſcopus Amaſenus. Obiit Papiæ XV. kal. Decembres anni 1752, ingenti pauperum luctu deductus ad tumulum in Cathedrali, in quo legitur hæc inſcriptio:

Franciſci Pertuſati Mediolanenſis
Ex Olivetano Ordine Papienſis Epiſcopi
Pontificio diplomate ad Succeſſores producto
Amaſenſis Archiepiſcopi
Pauperum ex aſſe hæredum Parentis
Oſſa
Obiit XV. kal. Decemb. MDCCLII.
Annos natus LXXIII. Menſ. IX.
Vixit in Epiſcopatu Annos XXVIII.

112 Ca-

112 Carolus Franciſcus Durinus Mediolani nobili natus genere, ut a ſtudiis feliciter abſolutis acceſſit ad rempublicam eccleſiaſticam, primis illis magna cum laude perfunctus eſt in Aula romana muneribus, quibus ad altiora aditus aperitur; & aliquot urbes in Pontificia ditione caſte, integre, prudenter adminiſtravit. Virtute hominis cognita, atque probata dignus habitus eſt, qui ornatus Archiepiſcopatu Rhodienſi ad Helvetios primum, inde ad Regem Galliæ Summi Pontificis Legati munus obiret. Quibus in officiis cum ſe talem exhibuiſſet, qualem Apoſtolicæ Sedis dignitas, & Eccleſiæ Catholicæ utilitas difficillimis temporibus requirebant, Papienſis ſimul Epiſcopus, & Archiepiſcopus Amaſenus dictus eſt X. kal. Sextiles anni 1753: nec multo poſt inter Eminentiſſimos Patres adſcriptus ſexto kal. Decembr. ejuſdem anni. Ticinum ut venit ad Sponſam, nihil illi fuit antiquius, quam ut Cathedrale Templum magna ex parte ab Epiſcopo ſuperiore disjectum, ex reliqua præ vetuſtate fatiſcens, & collabaſcens a fundamentis nobilius, & ſplendidius reſtitueretur. Qua in re tantum abfuit, ut ſumptuum, & immenſi operis magnitudine perterreretur, ut illud & magno ſtatim animo aggreſſus ſit, & majore promoverit. Præter magnam pecuniæ vim a populo, & univerſo Religioſorum, & Sacerdotum cœtu opera ſua, induſtriaque collectam, præter ingens æs ſuum operi faciundo collatum, præter omnes cujuſcumque ordinis etiam nobiliſſimi cives ad conferendam ſuis etiam manibus operam cum ſuo exemplo, tum propoſitis ſpiritualibus præmiis incredibiliter excitatos, in eadem præterea mente cum ſummo Pontifice ultro convenit, mille & quingentos argenteos de Epiſcopali cenſu quotannis ad duodecim proximos perficiendo tam neceſſario operi detrahendos. Neque minorem interea adhibet curam Antiſtes vigilantiſſimus, ut vel populus ſibi commiſſus in viam Domini dirigatur: vel in iis, qui in ſortem Domini vocati ſunt, Eccleſiaſtica diſciplina ſarta tecta ſervetur. Hinc conſuetudines pravæ de medio ſublatæ; piæ vero vel recenter invectæ, vel confirmatæ. Magna etiam ejus eſt in proventibus, qui ad Epiſcopum pertinent, conſervandis amplificandiſque accuratio

tio; cujus egregium ſunt argumentum Padus intra alveum oppoſito ad ſex paſſuum millia aggere forti coercitus, ne late per campos, ut ſolebat, excurreret; & tanta illa inſitarum in iis arborum ſeries, ex quibus ad ornandam Papienſem Eccleſiam, & ſublevandos pauperes maximum emolumentum. Antiſtiti egregio, magnanimo, vigilantiſſimo felicitatem & annos.

LAUS DEO.

Z

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MC

Digitized by Google